











Hic Tomus  
sequentis illustris  
CHERUBINI SCHOLASTICAE  
Dissertationes

continet:

1. Diff: de Trigâ casuum Hala 1695.
2. - - 30. iusq[ue] ad Iureverio ibid. 1697.
3. - - Iure iniusto barii petarum ibid. 1695.
4. - - Iure Principis circa adiutorium sua  
in utilitate bocardi vulgari: qua sunt  
in tentorio etiam prosumunt esse illa bona
5. - - Iure iniusto barii petarum ibid. 1695.
6. - - Persuasio decemviratu[m] testamenterie ibid.  
Iure Hala 1709.
7. - - captatorii institutionib[us] ibid. 1696.
8. - - Iure circa pharmaco[logia] ciuitatis 1697.
9. - - quatione: ac b[ea]tifici sutorum eod. id.
10. - - officio Directorum et Duorum Councillorium  
in questione p[ro]tentiarum eod. id.
11. - - Bonicio Linigra ibid. 1699.
12. - - Pseudo-privilegio pupilli converti con-  
traria actione negotiorum gestorum eod. id.
13. - - Iure confitundini et observantie eod. id.
14. - - protestatione facta contraria eod. id.
15. - - Juridicus Iuris manifestaci circa sarcina
16. - - Legitima viventis 1700.
17. - - Presumptione bonitatis. eod. id.
18. - - vera pietate Juridica 1701.
19. - - Ute[re]ptione beneficiorum Principis  
eod. id.

20.



20. Ggd. Isomafii Dif. de culpa abbas et regis  
etorum praefatiorum Halle 1701.
21. - - - de jure affectionis in rebus furgibiles  
non cadentes Ibid. 1701.
22. - - Jure Principis Evangelici circa sciam  
legitima Ibid. 1702.
23. - - Orationem cuiusdam adimendam legitemiam  
Ibid. 1703.
24. - - Jurisdictiones et magistratum diffe-  
rentia secundum morem Germanorum ed. ad.
25. - - de jure Detractionis 1709.
26. - - causa emigrationis 1681. origi
27. - - natura pecunie Juridicarum 1710.
28. - - feloniam domini ed. ad.
29. ~~1711~~ Epistola amici ad amicū occasione  
Detractionis inter apparagia et paraga  
Ibid. 1710.
30. Ill. Hertii Dif. de commentaria apparagi et  
paragi distinctione in Ius. Rom. 1709.
31. Ill. Christij Isomafii Dif. de origine processu  
inscriptori 1711.
32. Ggd. de occasione conceptione ac intentione  
Constitutionis Criminalis Carolinae ed. ad.
33. - - pactio futuorum sponsaliorum non facta  
Ibid. 1712.
34. - - ex poene viventium eorum infamantes  
absurda et abroganda 1723.

Wd. 25.

181  
"DISSERTATIO INAUGURALIS

*De,*

# VERA PIETATE JURIDICA,

*Quam*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIP E AC DOMINO,

DN. FRIDERICO  
WILHELMO,

REGNI BORVSSIAE ET ELECTORATVS  
BRANDENB. HEREDE,  
*&c. &c.*

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCto  
AC FACULTATIS SUÆ h.t. DECANO,

*PRO LICENTIA*

Summos in utroque Jure Honores & Pri-  
vilegia Doctoralia adipiscendi,

*Publicæ Eruditorum disquisitioni submitteret*

d. IX. Febr. Anno MDCCI.

JOHANNES PHILIPPUS Döß /  
Noriberg.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Literis Christiani Henckelii , Acad. Typogr.





CAP. I.

De

# VERA PIETATE IN GENERE.

## SUMMARIA.

**V**Ox Pietatis multis ambiguitatibus est obnoxia, §. I. Objectio: Translationem de vera pietate ad ICtos non pertinere, §. II. Quae removetur ex duplice capite, primo xat' αὐθεωτον, §. III. Et deinde xat' αἰδηθεσν, §. IV. Methodus dicendorum, §. V. Philosophivocem pietatis dupliciter accipiunt, impropriæ, §. VI. Et propriæ, §. VII. Impietas quid illis denotet? §. VIII. Sensus Pietatis in Sacra Scriptura, ubi idem est, quod amor, item quaratione Pietas Philosophica & Pietas Scriptura differant? §. IX. X. Pietas non est virtus particularis, sed complexus omnium virtutum, §. XI. Est affectio voluntatis, non intellectus, §. XII. Respsuit viam legalem eique annexam coactionem, §. XIII. Norma eiusdem est sola voluntas diuina, §. XIV. Equipollent ei in Scriptura vox Religionis & cultus diuini, §. XV. Pietas est habitus practicus. Quomodo contra hanc observationem hic & in aliis disciplinis impingatur, §. XVI. Pietati opponitur Atheismus & Superstitionis. Atbei duplices. Atbei theoretici non sunt iudicandi ex superstitionis vulgi opinione, §. XVII. Externam honestatem præ se ferunt, non veram tamen pietatem, §. XVIII. Atbei practici. Non sunt meliores theoreticis. Causa, cur tamen Theoretici magis ex officio vulgo habeantur? §. XIX. Superstitionis differentia ab utroque Atheismo. Inducitur plerumque per Ceremonias ab hominibus excogitatas, §. XX. Quatenus ejusmodi Ceremonias tolerari possint & de cautelis circa easdem adhibendis, §. XXI. Non potest in materia ceremoniarum a Veteri ad No-


A

vum

## CAP. I. DE VERA

vum Testamentum inferri. §. XXII. Origo superstitionis apud Iudeos. §. XXIII. Notatur obiter differentia inter hypocrisim, superstitionem & infirmitatem. §. XXIV. Origo superstitionis in Christianismo, præcipue sub Constantino M. §. XXV. Post Reformationem multa superstitione Ceremonie apud Lutheranos remanserunt. §. XXVI. Alius superstitionis fons, si Pietas certæ formulæ alligatur. §. XXVII. Simulacra Pietatis externa, & inter haec primum stupidiæ. Proverbiū: es iste ein frommer Stümper. Quis hic stupidus dicatur? De Imperatoribus quibus Piorum epitheton tributum. Stupidiæ plerumque in superstitionem abit. §. XXVIII. Observatio de vocabulis scripture in alienum sensum detortis, de simplicitate, patientia, captivanda ratione. §. XXIX. Aliud Pietatis simulacrum in Melancholicis. Sole Voluptas Pietati aduersari vulgariter creditur. Necessestas doctrina de Temperamentorum diversitate. §. XXX. Tertium simulacrum in panperibus. §. XXXI. An Atheismus deterior sit superstitione? & an propter solum Atheismum quis punitur querat. §. XXXII. Quid ICtis nomine pietatis veniat? Differentia inter Jus civile stricte sic dictum & Jus Justinianum. §. XXXIII. ICtis, qui in Pandectis recensentur, fuerunt Philosophi. §. XXXIV. Per pietatem denotant amorem seu officia humanitaris, quod exemplis adductis probatur. §. XXXV. & XXXVI. Temporibus Imperatorum Christianorum Pietas pro superstitione pars sepe pia fraudes. Notantur statuentes Justinianum fuisse orthodoxum, item Corpus Juris in se continere, que ad salutem consequendam necessaria. §. XXXVII. Cur de vera Pietate Disputatio inscripta fuerit? §. XXXVIII.

§. I.  
**I**letatem ad omnia utilem esse, & non praesentis solummodo, sed & futuræ vitæ promissiones habere, clamitant omnes ex verbis Apostoli Tim. 4. v. 8. & nihilominus tamen, quid sit illa Pietas, ignorant plurimi. Scilicet, quæ fata Sapientia, Fides, alia-  
que



## PIETATE IN GENERE

3

que vocabula quamplurima, in Scriptura occurrentia, experta sunt, ut a Glossatoribus sacris ( liceat enim eos ita appellare) alienæ prorsus definitiones iisdem affingerentur: eadem quoque voci Pietatis acciderunt, ut inter tantum de Pietate clamorem sèpe dubius hæreas, ex quoniam fundamento dissentientium litigia dijudicare debeas. Aliter enim evenire nequit, si faculas Soli accendere satagunt mortales, id est si limpидissimos verbi Divini fontes impuris traditio- num humanarum & falsæ sapientiæ aquis, neglecta simili- ci ac sana Philosophia, turbant atque conspurcant. Ne ergo & nos, qui de vera Pietate Juridica differere constitui- mus, eundem cum aliis errorem erremus, in præsenti Ca- pite Pietatem ejusque diversas acceptiones in genere con- sideraturi sumus.

§. II. Quemadmodum autem in judicio partes ante omnia de Legitimatione solliciti esse solent, ita quoque a nobis, antequam progrediamur, ad dubium aliquod admotum grave, ut videtur, respondendum erit, ne forsan circa ea, quæ dicturi sumus, Lectori vel ex præconcepta opinione, vel alias ex amore cavillandi scrupulus remaneat. Quid si enim quis nobis objiciat, doctrinam de Pietate per- tinere ad cathedram Theologicam, & propterea diversas a se invicem Facultates Theologicam & Juridicam consti- tutas esse, ne altera alterius circulos turbet, sed intra limites suos se contineat, nisi finium regundorum actionem expe- ctare velit. Quid si cohtinet, Superiorum Constitutionibus semel rite factis a subditis obtemperandum esse? & abs- que potestate a superioribus concessa Theologica in dispu- tationibus Juridicis haud esse ventilanda, atque sic vitium ~~πολυπεργμοσύνης~~, quo nos etiam vertamus, nos effugere minime posse?

A 2

§. III.

## CAP. I. DE VERA

4

§. III. Quid si, inquam, quis talia nobis occinat? Respondebimus: Tela hæc jamdudum sunt provisa, neque ergo insperata, sed potius per quam grata, cum eo ipso proutam nanciscamur occasionem, mentem hac de re distincte appetiendi. Respondebimus autem ex duplice capite: Et primo quidem libenter concedimus, quod licet alias unicuiusvis privato non de Theologicis saltim, sed & Juridicis, Medicis, ac Philosophicis alterum instruere permisum sit, imo obligatio ad officia humanitatis id exigat, nihilominus tamen Principi liceat boni ordinis causa hanc facultatem eatemus restringere, ut in quacunque facultate certis saltim personis potestas publice docendi competat, prout iam pridem Dn. Praeses ipse in der Ausübung der Vernunft Lehre, s. §. i. usque 15. hoc ostendit. Concedimus porro, hanc etiæ frictionem in Academiis nostris ubique factam esse; hoc tamen non obstante justas instituti nostri rationes reddi posse confidimus. Quid enim si primo *naturae abegitor* dicemus, dubium adhuc esse, utrum doctrina de Pietate pertineat ad cathedram Theologicam, & utrum hæc non potius circa enucleandas solum essentiæ divinæ mysteria aliasque doctrinas intellectum afficientes versari debeat; certe non multi præteriere anni, ubi ipsi etiam Ecclesiae Lutheranae Doctores famigeratissimi publice asserabant: *Professoribus Theologie incumbere, non ut pios reddant studiosos, sed saltim unde promonenda eorum eruditione solliciti sint.* Sed de his quidem non male dici possunt, quæ habet B. Brunneimannus *Jur. Eccles. L. i. c. 1. §. 7.* quod sicilicet, postquam in diversas seetas divisa sit Europa, nostrorum opera præcipua fuerit, polemicas tractare, quæstora Theologiae ac cultus Christianismus in disputationibus ac decideundis controversiis considereret; Pietatis studium magna ex parte (sinon pro roris) neglectum.

§. IV.



§. IV. Cum igitur hæc hypothesis, ut ut hactenus ubique communis fuerit, se hodie cordatoribus parum profhet, de alia adhuc responsione nobis dispiciendum erit. Negamus autem, quod ea, quæ de Pietate tradi possunt, ad cathedralm Theologicam solum & exclusive pertineant. Præterquam enim, quod Dn. Præses, *in pref. ad doctrin. fundam. stud. juris* docuerit, plurimos terminos plurimasque doctrinas Theologis & JCris sub diverso tamen tractandi modo esse communes, imo plerosque etiam intimioris tractationis Theologicæ, ut *Imputationis, Satisfactionis, Novationis, Expromissionis, Adoptionis, Testamenti*, aliasve terminos ex foro iuridico in cathedralm Theologicam, æquis ac benignis se hic JCris gerentibus, esse translatos, ipsa etiam Philologia, etiam Sacra, JCtorum erit instrumentum commune; ut pote ad quos doctrina de jure circa Sacra, præprivatis in territoriis Principum Protestantium primario pertinet, quæ sine illa Philologia sacra friget. Accedit, quod in specie quantū doctrinam de Pietate attinet, ostensuri sumus, eam ex Philosophia sana utruncq; deduci posse. Philosophia autem etiam JCtorum instrumentum commune est.

§. V. Superato itaque hoc obstaculo ad ipsam rem progrediemur. Ita autem hic versabimur, ut primo significatiōnē vocis Pietatis, quā apud Philosophos habet, exponamus: deinde ad sacras literas progrediamur, ostensuri, an eadem a significatiōne sānæ Philosophiæ in usurpatione vocis Pietatis abeat, nec ne: porro corruptelam, hujus vocis a Clero Pontificio potissimum & Papizante factam recentemus, & deniq; quid jure nostro per Pietatem indigeretur, subiectam.

§. VI. Philosophi vocabulo *Pii* & *Pietatis* diversimo-

mode usi fuerunt, ad duas tamen classes commode omnia referri possunt. *Impropria* est locutio, quando piuni pro blando, non gravi, jucundo & amēno usurpant, idque etiam rebus juxta communem Philosophiam inanimatis tribuerunt. Unde *pium cūlum* interdum ipsis denotat, quod nos serenum cūlum, aut amēnam quoque & gratam tempestatem appellamus. v. *Exc. Dn. Cellarius in Fabro emendato Voc. Pius.* Ita quoque improprius de animalibus ceteris præter hominem prædicatur Pietas, cum eadem nullius virtutis sint vere capacia. Huc pertinet *Ciconie Pietas*, quæ propterea ipsi a nonnullis auctoribus adscribitur, quod Parentes senio confectos sedulo nutrire adsyeta fit. *Venuste Publius Mimus:*

*Ciconia etiam grata peregrino hospita,  
Pietatis cultrix, gracilipes, crotalifolia,  
Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis.*

v. *Erasmus in proverbio ἀντιστραγγεῖν.* Sed an vera hæc sint, de eo non disputamus in præsenti. Sit fides penes auctores, qui non hanc solum Pietatem, sed & castitatis conjugalis studium præcipue Ciconiæ tribuunt, quo facit história Aventini, quod ciconia sociam propriam, si forte eam adulteram deprehenderit, quod ore potest, una cum pullis in adulterio a Matre conceptis laniet & discerpat. Dn. *Cellarius loc. cit. voc. Ciconie.*

§. VII. *Proprie* loquendo Pietas Philosophis nihil aliud denotat, quam amorem & ex eodem profluentia officia, quæ pro diversitate objecti iterum varia sunt. Sic darur Pietas erga Deum, Patriam, Parentes, Liberos, Cognatos, Benefactores & generaliter erga quoscunque homines. Et qui omnibus hisce debita officia ex merito præstat, *pius* appellatur. *Hinc piæ preces apud Livium L. 34. c. 3. illæ di-*

PIETATE IN GENERE

7

dicuntur, quæ ab homine Deum colente sunt profectæ, & Lipsius de Constantia L. 1. c. 11. Pietatem legitimum debitumque honorem & amorem in Deum ac Parentes definit. Metellus primus *Pii* nomen meruit, quod Patrem lacrimis & aspidis precibus ab exilio revocasset; idemque nomen Antoniho Imperatori ideo tributum est, quod Sacerum senem & ætate fessum manibus suis sublevasset. Pertinent hoc innumera ex aliorum scriptis testimonia, duo tamen addidisse sufficiat. Cicero in Epist. ad famil. L. 1. Epist. 1. princip. Ego, inquit, omni officio ac potius pietate erga Te ceteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio. Similiter de invent. Lib. 2. c. 22. dicit, quod *Pietas* erga Patriam aut Parentes aut alios sanguine conjunctos officium conservare moneat. Et puto inde originem summissæ, quod quando de defunctis sermonem facimus, qui vel de Republica, vel de nobis in specie bene meriti fuerunt, vel etiam amicitia & cognatione nos attigerunt, eosdem *pitemoribus* homines vocare aslveti sumus, quasi dicere velimus, nos post eorum quoque fata obstrictos esse, ut gratitudinem & pietatem nostram, ipsis olim debitam, quoquo modo declaremus.

§. VIII. Vi oppositionis facile porro fluit, quod *impiorum* nomine nemo veniat, nisi qui memorata officia ex fine, prout debebat, non exequitur. Quot ergo species sunt Pietatis, tot quoque impietas habet. Qui affra vider, (sunt verba Ciceronis lib. 2. de Nat. Deor. c. 16.) non indocte solum, verum etiam *impiæ* facit, si Deos esse neget. Et L. 4. de finibus c. 24. generaliter ea, quæ adversus aliorum salutem fuscipiuntur, *impietas* vocabulo designat. Etsi, inquit, impietas molita quidpiam est, quamvis occulte fecerit, nunquam tamen confidet, id semper occultum fore. Ade-

de Tacitum *L. 6. Annal. c. 47.* qui crimen , quod a subditis  
lædendo Majestatem Principis committitur , impietatem  
in Principem appellat. Plurima alia hujus generis haeriri  
possunt ex cit. Dn. Cellarii *Fabro Voc. Pius.* Hæc nobis in  
præsenti adduxisse sufficiant.

*§.IX. Quod si sacras paginas evolvimus , eundem inibi  
Pietatis sensum deprehendere licet. Ut enim Apostolus  
1. Tim. 4. v. 8. Pietatem medium indigitat promissiones non  
præsentis modo, sed futuræ etiam vitæ consequendi : Ita  
Salvator apud Lucam c. 10. v. 25. 26. 27. 28. vitam æternam  
hac ratione obtineri posse dicit, si & Deum & proximum  
nostrum sincero amore complectamur. Exinde necessa-  
rio sequitur, Pietatem & amorem Dei atque proximi pro-  
Synonymis habenda esse, nisi forsitan duas vias a se invi-  
cem plane distinctas statuere velis, quæ ad vitam æternam  
perducant, quod sine absurditate tamen fieri neutiquam  
potest. Infinita in promptu sunt Scripturæ loca, quæ hanc  
nostram sententiam clare evincunt, ex quibus tamen pau-  
ca saltim adducere fatis erit. Ad unum Johannem pro-  
vocamus, qui in epistolis suis nil nisi amorem Dei & proximi  
inculcat, eumque certissimum Christianismi & Pietatis  
fundamentum atque indicium supponit. Ita autem inti-  
me connexa sunt hæc duo, amor Dei & proximi, ut posito  
uno alterum quoque adsit, & viceversa, deficiente uno alte-  
rum quoque deficiat. Qui diligit fratrem suum, inquit 1. Ep.  
c. 2. v. 10. 11. in lumine manet, (ergo & pius est) qui autem  
odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat,  
& nescit, quo eat. Rursus eadem Epistola c. 3. v. 14. 15. incul-  
cat, quod omnis, qui fratrem non diligit, in morte manet,  
imo homicida reputandus, quod v. 12. exemplo a Caino  
fratrem occidente desumto illustrat. Tandem c. 4. v. 20. 21.  
illa-*

PIETATE IN GENERE.

9

illationem a nobis paulo ante allatam ita perspicue stabilit: Si quis dixerit, diligo Deum & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem, quem vidit, Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

§. X. Uterque hic amor, de quo loquimur, fundatum est omnium officiorum, quæ a Christianis five hominibus vere piis exigit voluntas Divina, v. Rom. 13. v. 9. 10. In eo tamen differentia est inter Pietatem Philosophicam & Pietatem Scripturæ, quod illa officia erga Deum & homines sine fide ex ratione corrupta deducat, hæc vero fidem in Christum ubique præsupponat. Non ergo docere potest Philosophia sibi relicta, quomodo quis veram Pietatem consequi poscit, neque id docet Jurisprudentia, sed hoc munus utraque Facultas Dominis Theologis lumbentissime relinquit. Quomodo autem fides & pietas inter se differant, etiam ad institutum præsens non pertinet, sufficit, quod cum Theologis nostris sincere confiteamur, veram Fidem & veram Pietatem a se separari non posse.

§. XI. His præmisisis Pietatem describi posse putamus, quod sit conformatio omnium actionum nostrarum cum voluntate Divina ex amore erga Deum & proximum profecta, conf. Iac. 2. v. 8. 10. n. Neque ergo virtus quædam particularis appellanda, sed potius meliori jure, quam de Justitia sua universali dicunt Peripatetici, de eadem affirmari potest, quod sub suo ambitu reliquas virtutes omnes complectatur, unde etiam, quantum quidem nobis constat, vel plane non, vel saltim rarissime inter alias virtutes particulares in Scriptura recensetur, sed absolute tanquam via

B

salu-



salutem consequendi commemoratur. Eadem mens est Ciceronis *pro Plancio c. 12.* qui eam fundamentum omnium virtutum, ejusque nomen gravissimum & sanctissimum, deprædicat. Regula virtutum Pietas & principium quidem, sicut Deus ipse auctor omnium est, juxta Philonem ap. Excell. Dn. Cellarium in *Fabro* emend. voc. Pius. Brevis: quemadmodum omnes virtutes ex amore profluere earumque complementum seu complexum potius, amorem esse, ostendit Dn Præses in *Ethica sua passim*: Ita quoque cum pietate in respectu aliarum virtutum christianarum comparatum esse, conspirans ubique sacrarum literarum analogia comprobatur.

§. XII. Hinc autem observa primo, pietatem esse affectionem voluntatis, non intellectus, quia scilicet non in speculando, sed agendo consistit. Confirmant hoc plura scripturæ loca, quorum nonnulla adducemus. Deus Ter Optimus Maximus cum primum cum Abraham fœdus iniret, ipsi nihil præter Pietatem injungebat, *Genes. 12. v. 1.* verbis: *Sey frömm / hanc autem in antecedentibus de exercitio aliquo per actiones voluntarias expediendo interpretatur, wändele für mir.* Interpretationem illam sedulo secutus est Abrahamus, unde quoties confessionem fidei suæ edit, nihil aliud afferre solet, als daß Er vor dem Herrn wändele *Genes. 24. v. 40.* add. c. 48. v. 15. ibi: *Gott / für den meine Väter Abraham und Isaäc gewandelt haben.* *Jacobus c. 1. v. 25.* beatum prædicat, qui non est auditor oblivious, sed effector operis nec minus *Johannes 1. Epist. c. 2. v. 5.* in eo demum charitatem vere perfectam esse assertit, qui sermonem Domini servat. Facit huc, quod vocabulum græcum *euangelion* a verbo *euangelio* derivetur, quod idem est ac *veneror, adoro, colo*, unde *euangelio* pius significat aliquem

## PIETATE IN GENERE.

II

quem, qui Deum veneratur & colit. Veneratio autem, adoratio & cultus primario non de intellectu, sed de voluntate prædicantur. Plura in hanc rem adducta loca reperties apud Pasorem in Lex. Græc. Lat. voc. σέβω. Imo quid multis verbis opus est: evolve Matthæum c. 25. v. 84. seqq. & videbis, in quonam consistant opera Pietatis, quæ promissionem futuræ vitæ habent. Scilicet in amore, quod quis esurientibus cibum, sitientibus potum, hospitibus diversorum, & nudis uestes præbuerit, infirmos item & carceratos visitaverit.

¶ XIII. Observa porro pietatem non posse promovere per remedia externa coactiva, sive aperte talia sint, sive alio quocunque nomine occultentur. Nec enim jubendo, sed docendo, hortando, & monendo animus ad pietatem veram præparatur. Pontifices nolebant videri, quod Leges promulgarent, unde *Canonum* nomen in subsidium vocabant, sed quilibet nihilominus vim legalem horum *Canonum* experiebatur. Amor & coactio non magis sunt compatibilia, quam ignis & aqua. Officia pietatis autem sunt officia amoris, atque adeo cogendo magis impediuntur, quam promoventur. Unde quemadmodum Dn. Præses in Tr. von Recht Evangel. Fürsten in Theologl. Streitigkeit. tb. 4. & 5. jamdudum evicit, officium Principis, quæ talis, non esse, ut subditos suos vere virtuosos efficiat, aut de promovenda ipsorum æterna salute sollicitus sit: Ita quoque nos jam eodem fundamento subnixi tuto inferimus: quod ad Principem, qua talem, id est, quatenus facultatem cogendi habet, non spectet, ut subditos suos pios efficiat. Pietas enim est vera virtus & vice versa.

¶ XIV. Denique notandum, quod in questionibus de officiis Pietatis, unice ad voluntatis divinæ normam respi-

B 2

ci



ci debeat. Ita enim descripsimus Pietatem §. 10. quod sit conformatio actionum nostrarum cum voluntate divina. Quocunque ergo Deus in sacra scriptura præcipit, ut proximo nostro exhibeamus; illud est opus pietatis, quicquid prohibet, illud si nihilominus committitur, ad impietatem pertinet: & denique, de quo voluntas divina nihil determinat, sed illud permittit, illud nec pietatis, nec impietatis operibus accenseri potest, sed indifferens est, quod neque laudem, neque vituperium meretur, nisi propter accedentem forsitan agentis bonam vel malam intentionem, vid Dn. Præfatis Disputatione de qua s. quomodo differat actio vana aturpi §. 1. & in T. III. obseru. select. ad rem litter. pertin. obs. 13. Excludimus ergo normas officiorum humanorum a voluntate hominum proficiscentes. Hæ enim si voluntati divinae sive cordibus inscriptæ, sive revelatae instituitu Pietatis aliquid superaddant, (id est, si homines Deo prædentifieres esse volunt,) superstitionem inducunt, immo utclarius loquamur, Papismum & Monachismum, de quo infra pluribus.

§. XV. Pietatis synonymum in Scriptura est Religio & cultus divinus. Licet enim quoad verborum cortices exterme different in effectu tamen ubique conveniunt. Ita jam supra §. 11. notatum fuit, quod verbum εὐθεία a quo apud Græcos pietas (εὐθεία) denominationem accepit, isdem sit ac venerari & colere. Imo & quæ alibi officia pietatis seu amoris esse dicuntur, prout hæc tenus ostendimus, ea eodem modo cultus divini essentiam ingredi in aliis locis asseruntur. Religio pura, inquit Jacobus in epist. ad Rom. 27. & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, in sevisere orphantos & viduas in afflitione sua, immaculatum scipsum servare a mundo. Quo sensu etiam Pascha

*loc. cit. vob. σέβω dictum t. Tim. 3. v. 16. magnum est Pieta-*  
*tis mysterium, recte explicat, magnum est Religionis*  
*Christianæ mysterium. Eadem ergo hic regula adhi-*  
*benda, quam *in §. preced.* adduximus: quod scilicet nihil*  
*ad Religionem & cultum divinum referri mereatur,*  
*quamquod voluntas divina a nobis exigit, exulantibus*  
*quibusunque hominum traditionibus.*

*§. XVI. Vides, Pietatem esse habitum seu promptitu-*  
*dinem, ea ex amore expediendi, quæ Deus a nobis requi-*  
*rit, id est, quæ ad salutem proximi & simul ad honorem Dei*  
*pertinent. Quæ enim ipsi Deo præstare possumus miseri*  
*mortales? At vero Deus ea sibi præstata agnoscit, quæ pro-*  
*ximonostro impertimus.* Excluditur autem eo ipso Pie-  
*tas illa, quæ communius, sed Clero Papistico originem*  
*debente, recepta est, & intra labia tantum se continet. Mul-*  
*ti sunt, imo, quid dicimus multi, plurimi potius, qui nul ni-*  
*si meram Pietatem & Christianismum crepant, & tamen*  
*ab officiis Pietatis sunt remotissimi; dantur alii, qui quam-*  
*primum vix prima pietatis fundamenta theoretice haufe-*  
*runt, mox eniādationem aliorum, imo refor-*  
*mationem aliquam violentam magno cum studio inten-*  
*dunt, ipsi a vera Pietate quam remotissimi, dum*  
*ne minimum quidem affectum cohibere, aut infimum*  
*amoris gradum erga alios exercere sunt capaces. Sed ita*  
*pervertitus mortalium mos summa iniis mœset, ut mire-*  
*mus homines grandia verba de Christianismo proferen-*  
*tes sine signis veri, & infucati amoris, rideamus autē alios,*  
*quid, quod verba volunt, in effectū deducere, ac magis es-*  
*se, quā videripi allaborant, in quo alterove tamen concep-*  
*tu intellectus a nobis disident. Ne autem putes, hoc ita*  
*in toto rebus ad pietatem spectantibus obtinere, corruptio-*  
*nibus*

illa per omnes omnino disciplinarum partes se diffundit. Viros, qui maxima de doctrina Ethices, Politices, aliarumque disciplinarum practicarum volumina orbi erudito obtrudunt, deprædicamus celeberrimos, oracula mundi (fallacia scilicet,) & monstra eruditio[n]is ; cum tamen haud raro Doctores moralium sine moribus, & Doctores politices sine prudentia dari, experientia restis sit. Et risu sine dubio exciperetur , qui opificem aut alium quendam hominem privatum Moralistæ aut Politici titulo insinuare vellet, et si virtutis stadium strenue decurrat, & notitia non modo sui ipsius, sed & aliorum quam optime instruens sit, ac negotia sua prudenter expedit. In promtu causa est, neque enim tales per literarum monumenta aliis innotuerunt. Homines igitur simplices & obscuræ memoriae dicuntur, non virtuosi & prudentes.

§. XVII. Pietati ex una parte opponitur *Atheismus*, ex altera *Supersticio*, quatenus tamen per tradita §. 12. magis hæc voluntatem quam intellectum afficiunt. Atheos intelligimus, tam *theoreticos*, quam *practicos*. Etsi enim Athei theoretici interdum Dei existentiam, interdum Ejus providentiam, interdum vero utrumque speculando negant, v. Pufendorff. de Jur. Nat. & Gent. L. 3. c. 4. §. 4. revera tamen & hi impii sunt, quatenus omnis error hic ex depravata voluntate ortum ducit, & quatenus etiam hi Athei theoretici nullum agnoscentes Deum ex necessaria illustratione amore erga Deum & per consequens erga proximum destituuntur, adeoque omnem Pietatis sensum amittunt. Optime Ambrosius de offic. L. 1. c. 26. Nihil est, inquit, quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus, eum Judicem futurum quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. Hæc dum

dum scribimus, de existentia ejusmodi Atheorum nos neutquam dubitare simul deprehendis. Unum tamen hic observandum. Scilicet Atheos hosce non ex opinione hominum superstitioni immersorum, sed ex norma sanæ rationis & sacræ Scripturæ dijudicandos esse. Vulgus omnes, qui a receptis opinionibus & ab auctoritate celebrium Virorum, præcipue Cleri, vel minimum redundunt, Atheorum titulo insignit. Idem illis, evenit, qui cultum externum ceremonialem ab hominibus introductum ad minimos usque apices non observant, quamvis de cetero ipsorum actiones voluntati divinae omnino sint conformes. Ex eodem fundamento jam olim apud Gentiles Philosophi communiter in Atheorum classem relati sunt, quod stultitias & vanitates cultus externi gentilis confutarent & riderent. Elegans in hanc rem de Anaxagora reperiatur locus apud Huetium in Anfor. quest. de concord. rat. & fid. b. 2. p. 28. Primus, dicit inter Iosnicæ Sectæ Philosophos fertur aptissime Dei naturam explicasse Anaxagoras, qui Mensem dixit suisse fictricem rerum & procreatricem mundi, a qua in ordinem digesta sit informis & confusa materia. Itaque impietatis accusatus est, non quod Deum tolleret, sed quod sublati vulgaribus Diis, receptas religiones, impietatem ipsam aboleret. Adde locum de Diana Ephesina huc apprime facientem ex Actor. 19. v. 24. ad fin. cap. v. Dn. Præsid. Einleitung zur Sittenlehre / 6.3. §. 74.75. Quamvis igitur Athei theoretici externa specie vitam honestam & virtuosam agere soleant, hoc tamen non ex amore erga alios, sed sui ipsius provenit, quia ratio ipsis monstrat, eos fore miserrimos, si vita bestiali indulgere velint. Quod haute in clanculum alii nocere possunt.

## CAP. I. DE VERA

possint, id religioni non ducunt, etiamsi regulæ sanæ rationis & Scripturæ Sacrae eo ipso plane convellantur, modo potentiae eorum & auctoritati, aliquid accedat, v. Dn. Præses loc. alleg. §. 70. Quis ergo destructo hac ratione omni Pietatis fundamento, fructus & officia pietatis in Atheo tali quererere vellet?

§. XIX. Atheos *practicos*, qui ore quidem Deum contentur, & speculationibus multis, iisque inanibus, ac superstitionis multa de Deo cogitant, sed operibus suis Eundem abnegant, omnes facile norunt, & ipsi Athei theoretici illos contemnunt. Graphicè eos depingit Petrus 2. Ep. 1.3. v.3. 4. dum in extremis diebus illi sores venturos esse afferit, qui juxta proprias concupiscentias ambulent & dicant: Ubi est pollicitatio adventus Ejus? siquidem ex quo die Patres obdormierunt, sic permanent omnia ab initio conditionis. Breviter, quorum symbolum est cum Sardanapalo :

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.  
 Cave tamen, ne putas atheos *practicos* melioris esse conditionis, præ theoreticis, quod ore Deum esse fateantur, imo & in Christum credant, id est formulam confessionis. Sectæ suæ recitare valeant; nec enim Deus talia respicit. Cor hominis, id est, voluntatem desiderat, non cerebrum. Fructus vitæ exigit, non labiorum, non cerebrinæ doctrinæ. Nec enim implicat orthodoxum aliquem esse & simul Atheum *practicum*, id quod experientia quotidiana abunde restatur. Non tamen sine causa mireris, cur magis exosi sint vulgo & superstitioni atheisti theoretici, quam *practicí*? Sed facilis est responsio, id ortum suum à Papistico Clero duxisse. Athei theoretici ut plurimum subtilibus ingenii prædicti sunt, atque adeo fabulas receperas

PIEATE IN GENERE.

ptas a Clero Papistico confictas confutant, quo ipso auctoritati Ecclesiasticæ, ut vocant, non parum decedit. Interest ergo Hierarchiæ, ne radices agat hoc malum & templo Dianæ aliquid decedat. Contra Athei practici Clerum quocunque modo sibi devincire student, ut prætensam peccatorum remissionem & laudes non parcas post mortem in concione funebri obtineant. Quis vero nævios aliquos in ejusmodi imbecillibus animabus non pati enter toleraret? & quisnam de eorum salute desperare auderet? Interim Minister Evangelicus, uti Atheismum utrumque odit, ita Atheorum utrorumque miseretur, eosque adhortando, admonendo, orando, rogando ad sanam mentem reducere pro gratia a Deo concessa studet. De tentatione Atheismi speculativi, qui etiam pios quandoque ad tempus afficit, hic non loquimur. Sed hanc ad forum Theologicum remittimus.

§. XX. Superstitione ab Atheismo utroque differt, quod Atheus theoreticus voluntatem divinam (quaæ Pietatis norma est,) plane non agnoscat, superstitiosus vero & Atheus practicus voluntati divinæ aliquid superaddat, id est, nonnulla ad Pietatem pertinere existimet, quaæ revera tamen traditionibus hominum originem suam debent. Differt tamen & superstitionis ab Atheo practico. Omnis Atheus practicus est superstitionis. Sed non contra omnis superstitionis est Atheus practicus. Potest enim hic aliquis bona fide errare, quod potissimum seductis accidit, ut in medio cultu superstitione sincere Deum quærant. Sed quod auctores primos superstitionis attinet, hi plerumque si non semper simul sunt athei practici. Ita enim ab initio mundi comparatum fuit cum illis, qui se aliorum Duætores & Doctores profesi, ut neglecta simplici via a Deo

C

Deo



Deo præscripta cultum Dei in formam artis quasi redegerint, auctoritatem suam supra ipsum Deum extulerint p& hac ratione, quæ ambitio & avaritia exigebat, ab Auditoribus obtinuerint. Examina cultum Patriarcharum, nec ceremonias, nec templia, nec peculiarem Cleri ordinem, nec alia invenies, sed simplicem pietatem, id est, conformatiōnē actionum cum voluntate divina. Licet enim B. Lutherus jam tempore Sethi publicas conciones cepisse putet, dum locum *Genes. 4. c. 26.* vulgatam fecutus ita verterit: Zu derselbigen Zeit sieng man an zu predigen von des Herrn Nahmen / & in glossa subjunxerit: man habe irgend ein Altärlein gebauet / dahin se sich verfamleten Gottes Wort zu hören / un̄ zubeten; ab aliis tamen ja indus sum ostensum fuit, textum velle, vel quod tum profanatum fuerit in vocando nomen Domini, vel quod coepit uocari de nomine Domini vid. Dn. Praef. Tom. i. obs. sel. obſ. §. 6. 7. 8. 10. Imito etsi ponamus, coivisse populum eumque publica doctrina institutum fuisse, non tamen exinde altaris extrectio, multo minus aliarum ceremoniarum initium derivari potest. Condonandus ergo hic est error B. Lutheru, qui statum illum juxta nostros mores sibi bona fide conceperit, sed non imitandus, aut defendendus.

§. XXI. Evidem non proscriptas voluimus ex Ecclesia omnes Ceremonias, cum iisdem hodie non magis quam in vita civili decoro carere possimus. Interim tamen maximam circa easdem circumspectionem requiri mus. Hæc in eo consistit, ut primum ceremonia, quantum fieri potest, (sed a principe non a Ministris Ecclesie) magis minuantur quam augeantur, ne anima laitorum iisdem nimium occupentur, & per consequens a cultu interno plane abstrahantur. Falsum enim est, quod com mu-

communiter statuunt, pompam ceremoniarum facere alicuid ad devotionem promovendam. Etenim ubi major est pompa cultus divini, quam apud Pontificios? Deinde affectus humani moventur, fateor, sed hoc vergit ad superstitionem. Veræ autem devotioni non magis quid accedit, qum ut forte in vetulis propter flosculos oratorios aliquando lacrumæ excitentur. Deinde etiam Ministris Ecclesiæ incumbit, ut saepius occasionem arripiant, Auditoribus suis præsertim simplicioribus sedulo expoundi, quod ceremonia illæ non a Deo sed ab hominibus, saltem ob aliquem ordinem & decorum sint institutæ, adeoque essentiam Pietatis & Christianismi neutquam ingrediatur, imo & mutari iterum libere posint. Salutarem had de redipositionem inseruit Parentissimus Monarcha Noster Ordinationi Ecclesiastica Magdeburgensi Tit. 2. §. i. quæ & habetur in ipsa Augustana Confessione art. 15. verbis: Von Kirchen Ordn. von Menschen gemacht re. doch geschicht Untericht daben. An vero hisce dispositionib⁹ se ubiq; conforment Ecclesiæ Ministri, dicant auditores. Certe si hoc debite fecissent, prout obstricti sunt, tanti tumultus non orti fuissent ex diminutione ceremoniarum, quantos subinde recensuerunt Scriptores historiæ Ecclesiasticae. Denique non debent ceremoniaæ invitit obtrudi, Aug. Conf. d. art. 15. verbis: daß man die Gewissen nicht damit beschwehen soll als sey solch Ding nothig zur Seeligkeit. Si enim haec libertas non permittitur, plebs in opinionem deducitur, ac si necessariam Pietatis partem ceremoniaæ constituant.

¶ XXI. Non est vero, ut hic nobis objicias, Deum tam in ipsum in Veteri Testamento tot ceremonias constituisse, & eum quidem in finem, ut eadem manuductio

quædam essent populo Judaico ad cultum interiorem promovendum. Neque enim amplius sumus sub jugo Legis ceremonialis. In Veteri Testamento Deus ceremonias ipse ordinaverat; & ideo observari debebant, si quis se Voluntati Divinæ conformare volebat: In novo vero Testamento ceremoniæ homines habent auctores. In veteri Testamento erant servi: in novo liberi sumus Gal. 4. v. 1. seqv. In Veteri aderat umbra solum, in Novo adest ipsum corpus, Coloss. 2. v. 17. Gal. 4. v. 9. Hebr. 10. v. 1. In veteri tantum similitudo deprehendebatur pro tempore tum præsente, & via Sanctorum nondum manifestata erat. Hebr. 9. v. 9. quæ in Novo Testamento omnia secus se habent. Ergo qui hoc modo veteri Testamento se tueri volunt, nimis clare produnt, quod veram Pietatem averterunt.

XXIII. Videndum nunc, quomodo diversis temporibus loco Pietatis superstitio substituta & introducta fuerit. De Clero Judaico faciemus initium. Hujus officium in eo consistebat, ut monstraret auditoribus, intentionem Dei non esse, ut in ceremoniis institutis acquiescant, sed ut per illas ad officia Pieratis, id est, ad amorem Dei & proximi perducerentur. Quid autem faciebant? Non solum hoc intermittebant, sed & jugum insuper intolerabile auditorum humeris imponebant, novas traditiones effingendo, & qui has servabant, veros Israelitas esse deprædicabant. Audiamus de iis ipsum Salvatorem testem omni exceptione majorem. Irritum, dicit Matt. 23. 2. 6. seqv. fecistis præceptum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, recte de vobis prædictis Esaias dicens: appropinquat mihi populus hic ore suo & labiis me honorat, ceterum cor eorum procul abest a me. Sed frustra me co-

lunt

## PIETATE IN GENERE.

2

lunt docentes doctrinas, præcepta hominum. Ad de Mart. 7.  
v. 6. seqq. integrum vero catalogum ejusmodi traditio-  
num qui desiderar, evolvat Mateb. c. 23. integrum. ubi lon-  
ga serie recensentur.

¶ XXIV. Ex adductis hisce locis simul colligere li-  
cet, quomodo *hypocrisis* & *superstitione* differat. Scilicet, qui  
dogmata humana ad salutem necessaria esse credit, super-  
stiosus est, quales erant Judæi colentes Phariseorum tra-  
ditiones. Qui autem traditiones eas effingit, & per eas-  
dem præsumptionem pietatis & sanctitatis sibi conciliare  
intendit, hypocrita est. Unde Phariseos hypocritarum  
nomine insignit Salvator. Huc pertinent & illi, qui pro-  
pter res indiferentes alios taxant, ac si pietatem lèdant,  
seque ipsos ob omissionem ejusmodi rerum magis pios  
esse existimant, cum tamen, nihil minus sint. Tales  
iterum erant Pharisei male vertentes Christo, quod cum  
publicanis & peccatoribus cibum sumeret, Matheb. 9. v. 11.  
*Luc.* 5. v. 27. unde *hypocrisis* fermentum Phariseorum vo-  
catur, *Luc.* 12. v. 1. Paulus ejusmodi homines vocat fastuose  
incidentes, frustra inflatos, qui variis decretis alios te-  
nent, ne tetigeris, ne gustaveris, neque contrectaveris  
*Coloss.* 2. v. 19. 20. 21. Uno verbo : hypocritas appellamus,  
qui pii videntur, aut videri volunt, sed non sunt. Seu, qui  
Pietatem aliquam externam affectant deficiente interno  
fundamento. Quare hypocritæ non sunt confundendi  
cum *infirmis*, qui fundamento Pietatis gaudent quidem,  
ex conscientia erronea tamen haud raro illis rebus scan-  
dalizantur, quæ in felicitate & permisso sunt. Et in horum  
gratiam interdum ab ejusmodi rebus permisso abstinere  
oportet juxta doctrinam Pauli *Corinthi* 8. v. 9. seqq. neuti-  
quam autem hypocritarum causa,

C 3

§. XXV.

## CAP. I. DE VERA

§. XXV. Revertimur ad scopum. Superstitionem in Judaismo regnantem manifestavit quidem & confutavit Salvator reducendo homines a ceremoniis veteris Testamenti ad viam simplicem, quæ in spiritu & veritate Deum colendum esse monstrat: Institerunt quoque Ejus vestigiis serio Apostoli, ut ex ipsorum scriptis dilucide apparet, nec non Doctores sequentium temporum, quamdiu scilicet Ecclesia Christi sub persecutionibus Gentilium pressa erat; Verum, postquam præcipue sub Constantino M. Episcoporum nomen non amplius onus, ut olim, sed dignitatem denotare incipiebat, & mundus in Ecclesiam intrudebatur, pristina simplicitas exosa fuit, ejusque loco Christianismus ceremonialis introductus. Episcopi & reliquus Clerus divitiis & opibus implebantur, & ergo de crassissima superstitione Pietatis vocem prædicare incipiebant, ipsi vero Pietatem non erga proximum sed ventrem suum exercere studebant. Eo enim tempore nondum valebat proverbium, quod plenus venter non studat libenter. Qualis Pastor, tales oves. Quia itaque Episcopi a recta via diverterant, populus ipsos sequebatur, quippe qui indecorum censebat, si Pietate superiores superaret. Quid tandem? facilis est responsio. Introductus est Anti-Christianismus, & postquam Laicos Clerici multitudine superstitionis ratione quasi privarunt, ipsi præter regimen Ecclesiasticum ipsam quoque potestatem secularem Regibus & Principibus e manibus excutere annis lunt. v. Manzamb. de statu Imperij Germanic. §. 9. ibi que Dr. Preses in not. Conf. eund. in Tom. II. obseru. select. obseru. 8. §. ss. seqq.

§. XXVI. Quid hac parte per Reformationem Lutheri aliorumque mutatum fuerit, ex historicis notum est, No-

Nobis in præsenti observasse sufficiat, non obstante illa Reformatione præcipue apud nos Lutheranos adhuc plurima vigere, quæ nil nisi meram superstitionem sapiunt, quæ Monzambanus d. tr. c. 8. §. 7. satyrice quidem, sed vere appellat *inania ceremoniarum ad aliquem cultus publici apparatum relicta, divertendis simpliciorum animis, quorum captum nude pietatis meditatione fere superat.* Fateor quidem, non consultum fuisse, ut statim uno impetu omnia reformatur, propter maximam cœcitatem, qua laborabat vulgus; ast tamen nec e contrario, ut factum, subsequenti tempore talia denuo stabiliri, sed potius auditores sensim ad nudæ pietatis meditationem assuferi debuissent, quæ eorum captum minime superat. Sed hic pro aris & focis pugnatum fuit, si minima mutatio in adiaphoris (quæ ex omnium confessione talia fuere) suscepta. Merentur, ut adscribamus, quæ hanc in rem habet B. Brühm. Iesus & pius & prudens & Lutheranus *Jur. Ecl. L. i. c. 1.* §. 7. *Ipsæ, inquit, ceremonie Ecclesiastice, an ad edificationem Ecclesie, & pietatis tendant, nulli cura fuit;* (scilicet post Reformationem) *Loco Psalmorum Davidicorum, qui in veteri Ecclesia quotidie cantabantur, introductæ sunt aliae non presentes Spiritum Davidicum; paucis Psalmis Davidicis jus indigenatus datum, sed loco psalmorum introducta est Musica organica instrumentalis, qua non mentem moneat, sed aures minicit. Omnis cultus noster consistit in audiens concionum, & usus sacre canæ singulis annis tribus aut quatuor vicibus repetito.* Hæc ille. Non tamen & illud volumus, ac si Magistratus Evangelicus sine circumiectione statim ejusmodi ceremonias debeat abrogare. Prudentia & hic requiritur, quæ tamen non in Academis docetur, sed in vita civili discitur. Intempestiva imaginum destrucio non minima cau-

causa ruinæ est imperii orientalis. Neque diminutio  
imprudente ceremoniarum aut abrogatione Pietas sta-  
tim promovetur.

§. XXVII. Est & alius fons superstitionis, & (quæ no-  
men Pietatis falso mentitur,) impietatis erga proximum,  
scilicet prava consuetudo, que veram Pietatem ex formula  
aliqua seu confessione orali, circa conceptum mysteriorum essentie  
Divine occupatam, metiri solet. Exinde enim ita argumen-  
tantur: Ubicunque non est vera fides, ibi non est vera  
Pietas: Atqui in illis, qui nobiscum non habent eandem  
formula, non est vera fides; Ergo. Minor superstructa  
est communi hypothesi, ac si fides primario in cerebro  
consistat: quod si autem illa corruit, ut ostendit Dn. Prä-  
ses in Disp. de Fide Juridica c. i. passim, conclusio quoque nul-  
lius est momenti. Interim plebis animi tam firmiter re-  
penitus infixa ea hypothesis, ut licet videant, homines al-  
terius confessionis opera veræ Pietatis edere, id est, pro-  
ximum suum & per consequens Deum, sincero & infusa-  
to amore prosequi, odio tamen interne cino eosdem pro-  
sequantur, imo haud raro dubitent, an eodem loco cum  
hominibus suæ confessionis citra impietatis notam sepe-  
liri possint. Causam si desideras, est illa ambitio & domi-  
nandi libertas in corrupto Clero, (de hoc enim nobis ubi-  
que sermo est, non de veris Ecclesiæ Ministris,) qui prin-  
cipium politicum: Divide & impera, etiam ad arcana do-  
minationis suæ pertraxit. Quo enim plures sunt sectæ,  
eo plures plerumque eriam dantur Papæ.

§. XXVIII. Sufficiant hæc de superstitione, tanquam  
re, quæ Pietati e diametro est opposita. Cum autem &  
aliæ dentur reliqua Papismi, quæ hominibus speciem Pie-  
tatis extrinsecus conciliant, revera tamen a Pietate pror-  
sus

suis sunt diversa ; haud abs re erit, ut ea paucis attingamus, ne facile credendo quis decipiatur. Huc pertinet primo *stupiditas*, quam in defectu judicii ponimus, quando scilicet quis negotiis suis (qualiacunque sint) expediendis non sufficit, sed alio Ductore opus habet, & per consequens etiam dijudicare nequit, an hoc vel illud voluntas Divina ab ipso exigat, nec ne. Quo pertinet vulgatum... Es muß wol wahr seyn/ es, hats der Pfarrer gesagt! Solet quidem hæc stupiditas communiter *simplicitatis* nomine, indigitari, (unde dicimus sancta simplicitas, item es ist ein guter einfältiger Mann/ item ein frommer Stümper;) ast abstinentius illo vocabulo, quia & in bonam partem accipitur, & sic ambiguitate laborat. Quoties autem claraverba haberri possunt, ambiguis omnino est abstinentium. Diximus stupidos *alieno ductore* opus habere. Hujus officium in rebus ad Christianissimum pertinentibus communiter Clerus Papisticus in se suscipit, quod uti *simpliciter* non improbamus, ita ramen e contrario evenire solet, ut minus periti vera statim Pietatis vestigia adesse judicent, si Ductoribus suis ad nutum obtemperant ejusmodi homines in actionibus externis. Egregie huc facit observatio Dn. Præsidis *in not. ad Monzamb. c. i. §. 8. p. 43.* de vera causa cur aliquibus Imperatoribus *Magnorum*, aliis autem *piorum* encomium tributum fuerit. Scilicet *Magnos* appellatos fuisse dicit, qui bello potentes erant, & clericis pecunias & honores abunde largiebantur, e. g. Constantinus M. Theodosius M. Carolus M. Otto M. *Pios* contra, qui mitis ingenii erant & ad imperii habenas non apti, & a Clero exerceri se patiebantur, e. g. Ludovicus *Pius*, de quo apposite ad rem Puffendorffus in der Einleitung zur Historie *c. 5. S. 5.* daß Er mehr das Gemüth eines guten Prießers

ster s/ als eines Kriegsmanns gehabt habe; licet adhuc de eo dubitari possit, an qualitates veri Ecclesiae Ministri posse derit. Plerumque autem talis stupiditas in superstitionem degenerat; unde iterum Dn. Praef. loc. cit. non habet, inquit, vera Pietas excessum, sed nimia Pietas Ludovici pietas non erat, sed superstitionis.

¶ XXX. Observa iterum, sed obiter saltim, calliditate in Cleri papizantis in explicatione S. Scripturæ. Christus a fidelibus requirit simplicitatem, id est, ne præter verbum Dei traditiones hominum normam Pietatis suæ ponant. Pseudo Clerus autem eam ita interpretatus est, ac si coecam obedientiam & dependentiam ab ejus traditis denotaret. Christus requirit, ut pii sint instar ovium, id est, ne ægredierantur, si adversitate ob confessionem doctrinæ Christianæ sustinere ipsis contigerit; Pseudo Clerus autem hunc sensum exinde eruit, vel ut auditores patienter ferre debeant, si non solum saepiuscule ab ipso tondentur, sed & claud raro plane deglubantur; vel ut stupiditatem ovium, (inde enim tummis Schaff) imitantur. Christus quis sit, ut rationem captivam dicamus sub obedientia fidei id est, ut limites rationis & fidei agnoscamus, neque aliquid profalso venditemus, licet illud sola ratione assenti non valeamus. Pseudo Clerus autem exinde axiomam statutus formavit, ut adversus ipsius tradita, decisiones, canones, ne hiscere quidem licitum sit, & quæ alia ejusmodi insinuita adduciposset, nisi breviter studeremus.

¶ XXXI. Aliam eamque non genuinam speciem Pietatis porro reperimus in quibusdam hominibus, potissimum in Melancholico, qui subinde de contemptu hujus mundi ejusque voluptrium, de fide vera, de abnegatione sui, de crucifigenda carne &c. non solum speciose loquuntur, sed &

& actionibus suis ostendunt, quod cupiditates voluptatis  
iis non imperent, & proinde statim ab incautis pro ho-  
minibus vere piis venditantur, cum tamen ex sola tempe-  
ramenti dispositione hæc omnia proveniant. Quod si e-  
nim de contentu divitiarum, quas forsan possident, di-  
scursum formes, non ita promptam reperies responcionem,  
aut saltim non adeo promptas ad erogandum manus; aut si  
de zelo intempestivo & parum christiano, vel de aliis af-  
fectibus, quibus reguntur homines parum voluptuosi, du-  
biū moveas, sepe videbis & hos pro pietate ventitari.  
Provenit autem hæc deceptio ex erronea, licet frequenti  
hypothesi, solum voluntatem ejusque varias species Pietati  
adversari, ambitionem autem præprimis subtilem & a-  
varitiam non item. Unde simul apertum redditur, quam  
maxime intersit, ut Doctores pietatis doctrinam de tem-  
peramentis hominum probe calleant, ne piros depraedi-  
cent, qui tales non sunt, nec pro impiis habeant, qui tamen  
in pietate serio se exercent, sed non ita severis moribus sunt  
prædicti. Manet siquidem & post conversionem homi-  
nis temperamentorum diversitas, quod in ipsis Apostolis  
deprehendimus, nec ergo in actionibus externis omnibus  
una regula præscribi potest. Utinam vero hæc ubique  
etiam in nostris Ecclesiis melius obserarentur.

¶ XXXI. Denique falsam speciem Pietatis aliquan-  
do ex paupertate oriri, addimus. Notum est proverbium:  
*Sine Cerere & Baccho friget Venus.* A voluptatibus ergo sepe  
nolentes volentes abstinent pauperes, quia nervus rerum  
gerendarum non sufficit. Quarunt etiam confortium ho-  
minum piorum, præsertim si sedationem famis ab iisdem  
esperant, omnesque piorum gestus externos simiarum in-  
star sedulo imitari norunt. Multos ejusmodi pseudopios

excitabat miraculum Christi panibus paucis multitudinem plebis cibantis, Quos & propterea sapientissimus Salvator severe norabat. Hujus prudentiam & hodie imitari debent Doctores Pietatis, ut pauperibus subveniant, sed non turbam eorum imprudenter allicant. Potest pauper quidem pius esse, sed non omnis pauper pro tali habendus est, & paupertas in multis est irritamentum ad hypocrisias.

¶ XXXII. De eo hic quereri solet: an Atheismus sit deteriorius vitium quam supersticio? & illi quidem, quorum interest, Laicos in superstitione detineri, affirmativam magnam fiduciam amplectuntur, nos autem negativæ subscribimus, atque superstitionem & atheismum etiam theoreticum pari passu ambulare certo persuasi sumus. Ipsi homini his virtutis laboranti unum æq; noxiū est ac alterum. Intuitus autem Reipublicæ putamus huic per superstitionem plus noceri, quam per Atheismum speculativum per ea, quæ latius docuit doctissimus Bælius in cogitationibus promiscuis de Cometa. Confer. Dn. Præf. *Introd. ad Phil. mor. c. 3. n. 70. seq.* Quāmvis enim Schweder *Introd. in ius pbl. partis spea. Sect. 1. t. 5.* aliisque ibidem allegati exempla afferrant, quod superstitione interdum Reipublicæ præsidio fuerit, atheismus nunquam facile tamen hoc dubium exvulgato illo convelli potest, non esse facienda mala, ut bonum exinde eveniat. Sane quemadmodum Atheus theoricus clanculum delicta committere non dubitat, ut supra ostensum: ita superstitionis delinqvit publice, immo hic eō magis ad ea fertur, dum putat eorum remissionem per observantiam cultus externi & traditionum humanaarum facilime obtineri posse. Ob solum etiam Atheismum speculativum aliquem pœnis humanis subaudi

jici

## PIETATE IN GENERE

29

jici posse , negamus contra Schwederum loc. cit. nec non Pufendorfium de officio Hom. & Civ. L. I. c. 4. §. 2. in fin. ita tamen ut Principi liberum sit emigrationem Atheo injungere, si ex utilitate Reip. non esse credit, ut in eadem toleretur. Quod si delicta admiserit Atheus, (quorum etiam referimus disseminationm Atheismi præprimis post interdictum) sine dubio pœnis afficiendus, sed tunc non amplius propter solum Atheismum, sed propter turbationem publicæ tranquillitatis , quam tueri Principis est, plecitur. Idem de superstitionis judicium esto.

S. XXXIII. Vidimus hactenus, quod & apud Philosophos & in S. Scriptura voce Pietatis amor denotetur, atque sicuter habes exemplum concordiae rationis & fidei. Ordo autem postulat, ut nunc denique etiam subjungamus, quid JCt per eandem intelligant, hoc enim præcipue in istitu*t*o nostri est. Prout vero alias ius Romanum vetus, quod in Pandectis per centones nobis exhibuit Tribonianus sub nomine juris civilis, aut mediae Jurisprudentiae , juri noviori, quod in Codice & Novellis habetur , tanquam Justiniane stricte sic dicto opponi consuevit: Ita & nobis hic distincte procedendum erit, scilicet, ut ante omnia dispiciamus, quo sensu JCt veteres, qui in Pandectis referuntur, Pietatem acceperint, deinde autem, qua ratione hic sensus in Constitutionibus Imperatorum admodum corruptus fuerit, subjungamus.

S. XXXIV. Prius quod attinet, ante omnia supponendum est, JCtros, quorum fragmenta Pandectæ exhibent, fuisse Philosophæ peritisimos, & pleraque ex norma & dictamine rationis decidisse, non ex Lege scriptas. Unde etiam tot dissensiones inter ipsos, in speculares Sectæ fuerunt, quæ in questionibus non nullis paulo intricatori-

D 3

bus



bus in diversissimas plane abierunt sententias. Interim quia tamen Philosophi fuerunt, significationem vocum retinuerunt, quæ aliis usitata fuit: Unde thesis esto: I Ceti Romani veteres per Pietatem æque ut Philosophi nihil aliud denotant, quam amorem rationalem, sive, ut termino magis noto rem effaramus, officia humanitaris ex amore profluentia. v. L. 5. §. 2. ff. de agnosc. & alend. Lib. ibi cum ex equitate hac res descendant, charitateque sanguinis.

§. XXXV. Thesis hæc ex inductione exemplorum facillime probari potest. Patria potesbas, inquit Marcianus, in L. 5. ff. de L. Pompeja de Parricidio, in Pietate debet, non atrocitate, consistere, & sic latronis magis, quam patris jure enim egisse afferit, qui in venatione filium necaverat, quod novercam adulterasset, qui propterea etiam iussu Hadriani in insulam deportatus. Papinius in L. 22. §. fin. ff. ad L. 3. de adulst. ideo Patri omnem adulterum in filia deprehensum occidere concessum esse ait, quod plerunque Pietas Paterni nominis consilium pro liberis capit, mariti autem calor impetus facile decernere solet, conf. L. 1. §. 5. inf. ff. de lib. exhib. ibi: ne acerbe patriam potestate exerceat. Eandem Pietatem a Matre, & vicissim a Liberis requirunt Leges non solum erga Parrem, sed & erga Matrem, non modo a Liberis paganis, sed & iis, qui militiam sequuntur, quibus alias varia iura singularia præcipue in testamento conditione indulta erant. De Matre v. L. 3. §. 6. ff. de Neg. gesl: aliosque textus, quos capite sequenti allegabimus. De Liberis L. 1. & L. 10. ff. de obs. Par. & Patron. presl. ubi impi manus vocantur, quæ contra Parentes elevantur, (d. L. 1. §. 2.) & liberos Parentibus Pietatem deberre afferitur. Idem quoad libertos disponit L. 9. ff. d. r. add. de Liberis L. 5. §. 15. ff. de agnosc. & alend. liber.

§. XXXVI.

§. XXXVI. De Pietate Mariti erga uxorem, Vitrici ega privignas, consangvineorum proximorum erga se invicem, Donatarii erga donantem &c. textus itidem occurrent cap. sequenti. Conf. Brunnemann. ad L. ult. ff. fam. hercisc., ubi de Pietate inter fratres dividentes hereditatem paternam agit, nec non ad L. i. C. de negot. gest. ubi pietatem de affectione domestica interpretatur; Unde jam facile liquet, quisnam verborum, quæ in L. 15. ff. de condit. Insit. habentur, (scilicet ea, que lădunt pietatem, nos facere non posse moraliter,) genuinus sensus haberit debeat. Nempe prohibita esse omnia, quæ ejusmodi amorei erga alios lădunt.

§. XXXVII. Quantum ad Constitutiones Imperatorum Christianorum in Codicem relatas attinet, non quidem negabimus, voceum Pieratis aliquando eodem sensu accipi, quem veteres J. Ctri ei attribuerunt. Quemadmodum autem jam supra ostendimus, a temporibus Constantini M. verum cultum divinum in meram superstitionem conversum fuisse: ita quoque Pietati nova significatio superaddita, & per eam omne id, quod ad superstitionem faciebat, denotatum est. Clamant id infinitæ Leges Codicis, ex quibus specimenis loco in præsenti allegante sufficiat L. 42. C. de Episc. & Clericis, quæ est Justiniani, ubi Pietati adscribitur, si quis pro salute anime sue, ut eidem consulat, illamq. salvam faciat, Ecclesiis aliquid largitur. Statibilita est hæc Pietatis significatio per jus Canonicum, eaque ipsa tantas Clerico in papatu divitias peperit quibus adhuc hodie gaudet, ipsique Principibus formadibilibus haud raro existit. Unde forsan phrasis: pia frāns, originem duxit, cuius sensus hic est, quod Clero quicunque modo per fas & nefas sibi aliquid arrogare liceat. Nata quoque exin-

IVXXX.

exinde doctrina *de piis causis* eorumque privilegiis & iuribus, quæ a J.C. protestantibus improvide admodum in Commentarios suos illata est, quod ipsum in aliis etiam materiis factum. Hoc unicum hic observare liceat, gravioriter hallucinari eos, qui *Justinianum orthodoxum*, i.e. vera Religionis Christianæ dogmata professum esse, afferere non erubescunt. An enim id Scripturæ sacræ convenit, quod per relicta ad pias causas salutem animæ consequamur? an id, quod Papa sit sanctissimus, & caput omnium sanctissimorum Dei Sacerdotum, quale elogium ipsi tribuit Justinianus in L.7.C. de SS. Trinitate; an id, quod Ecclesiæ nomine templum ex lapidibus confectum designetur, uti fit int. t. C. de SS. Eccles. & quæ sunt hujus generis alia. Ergo cum Justinianus se pium scribit, id superstiosum denotat. Non minor est error, quem aliqui tradere solent, posse nos omnia ex Corpore Juris haurire, que ad salutem necessaria sunt. Ubi enim de regeneratione, illuminatione & sanctificatione tanquam columnis Christianismi in Corpore Juris quicquam reperitur? Sane, qui ejusmodi doctrinas fovent, nimis aperte se produnt, quod per fidem nisi opus cerebri & intellectus intelligent, atque adeo seiplos & alios misere decipient.

§. XXXVIII. Relicta ultima significatione nos in præsenti tantum de Pietate Juridica agemus, quatenus amorem erga alios exercendum denotat. Unde simul patet, cur in rubrica disputationis vere Pietatis Juridicæ mentionem fecerimus. *Falsa enim Pietatis, aut si mavis, Impietatis plarum causarum enucleationem aliorum diligenter relinquemus.*

CAP. II.

CAP. II.

De

VERA PIETATE JURIDICA  
IN SPECIE.

SUMMARIA,

**C**onnexio cum capite precedente. Obligationes duplices sunt generis, §. I. Methodus dicendorum, §. II. An & quatenus aliquis ad officia pietatis invitius adigi possit? ubi primo de Parentibus & liberis, §. III. Obligatio Parentum ex jure nature, ubi inquiritur, an & quonusq; L. girima liberorum ex hoc iure proficiere dici queat? §. IV. Obligatio Parentum de iure civili, §. V. Liberorum de iure natura, §. VI. & de jure civili, §. VII. Non distinguuntur hic Leges civiles, an filius sit paganus, an miles. Nec an parentes sint honesta vita, an delictorum convicti, §. VIII. Adducuntur plures conclusiones ex hoc obligationis fonte profuentes, §. IX. & X. Obligatio Patroni erga libertum, §. XI. Obligatio libertorum erga Patronos, §. XII. Obligatio fratrum sororumq;, quam solum imperfectam esse ostenditur, refutatis dissentientium opinionibus, §. XIII. Obligatio donatariorum erga donatorem. Donatarius illum alere non obstrinatur. Refutantur dissentientes, §. XIV. Resolvitur dubium appartenens obstante & explicatur, quomodo locutio: cogere aliquem invitum ad officia pietatis sit intelligenda, §. XV. Secundum translationis membrum, an is, qui officia pietatis alteri exhibuit, exinde actionem consequatur? quod in genere negatur, §. XVI. Natura negotiorum gestoris. Animus dobandi in dubio non presumitur, §. XVII. Exceptio in personis conjunctis, §. XVIII. Agitur primò de matre & avia, negaria filiorum aut nepotum gerentibus. Pronponitur casus l. 34. ff. de negot. gest. cum questionibus exinde promanantibus, §. XIX. Resolutio harum questionum, §. XX. Distinctio Doctorum an in personam filii, an vero in res ejusdem impense erogate fuerint, §. XXI. Conciliatur L. ii. C. de neg. gest. cum l. 34. ff. eod. §. XXII. Dubium, quod circa casum aliquem particularem ex cit. l. 34. ff. de negot. gest. remanet. Explicatio ejusdem a Glossa

E

ad-

## CAP. II. DE VERA PIETATE

adducta. §. XXIII. que examinatur & maximam partem reiicitur.  
 §. XXIV. De Matre filiis tutorem petente & Tutores ejus tanquam  
 suspectos postulante. §. XXV. Non solum matri & avia, sed aliis  
 quog. personis, que pieratis intuitu aliquid in alterius utilitatem  
 gerunt, atq; eo nomine denegatur, quod exemplis ostenditur. §.  
 XXVI. Vitricus in dubio pietatis causa quid fecisse non presumi-  
 tur. §. XXVII. Ostenditur hanc occasione differentia inter matrem  
 & aviam, & reliquas personas conjunctas. In ultimis pietatis pre-  
 sumtio in dubio pariter locum non habet, quod ex Legibus probatur.  
 Quomodo limitanda sit assertio DD. inter personas conjunctas, ani-  
 mum donandi presumi statuentium. §. XXVIII. Responderur ad du-  
 bium ex l. 14. S. 7. de religios. §. XXIX. De Marito erogante impen-  
 sas in curationem Uxoris agra ejusq; defuncte funerationem. §.  
 XXX. De Liberto petente Tutores liberis impuberibus Patroni.  
 §. XXXI. De Tutore impendente aliquid in utilitatem pupilli, ut  
 & de domino ratione expensarum, quas in curationem agrotantis  
 famuli fecit. Resicteur opinio communis. §. XXXII. De dote, nec  
 non de legatis prius locis indebet solitus. §. XXXIII. An illi, quid ex  
 pietate gerit, contra prohibentem actio negotiorum concedatur?  
 §. XXXIV.


 Vinam genuinus sit vocabuli Pietatis signifi-  
 catus, capite praecedente vidimus. Cum  
 autem Jurisprudentia inter disciplinas practi-  
 cas primum locum obtineat, quatenus de mo-  
 ralitate actionum humanarum in foro civili quaeritur, atq;  
 adeo illa circa effectus negotiorum quam maxime occu-  
 pata sit; nunc porro progrediendum erit, & quidnam in-  
 tuitu officiorum pieratis justum injustumve dicatur, ex  
 principiis juris investigandum. Notum quippe est, obli-  
 gationes hominum duplicis esse generis, perfectas alias,  
 ad quae invitus quoque adigi potest, imperfectas autem a-  
 lias,

## JURIDICA IN SPECIE.

35

lias, quas quidem jus naturæ pariter atque civile ab omnibus exigit, interim tamen, si sponte non præstantur, remedia coactiva, quas actiones in statu civili vocamus, ad easdem exigendas non concedit, sed pudori cuiuslibet illas relinquit. Unde, quod dici solet de Actoribus, legitimis probationibus destitutis, *non tibi jus, sed probatio deficit*: illud in hujuscemodi casibus verbis paululum mutatis ita applicari potest, ut jus quidem tibi suppetere, actionem vero deficere dicatur.

§. II. Vides hinc methodum eorum, quæ de vera pietate juridica dicenda restant. Primo enim inquirendum nobis erit, *an & quatenus aliquis ad pietatis officia, quæ in jure commemorantur, invitus etiam adigi possit?* Deinde vero proximum erit, ut subjungamus, *an is, qui officia pietatis alteri sponte exhibuit, exinde adversus alterum, cui illa officia exhibita sunt, actionem in foro civili conseqvatur?* His enim probè expensis, nihil remansurum esse credimus, quod exinde resolutionem accipere haud queat. Et simili in compendio videri poterunt, quæ aliàs per totam Jurisprudentiam dispersa deprehenduntur, & à Commentatoribus non minus obscurè, quam sine justis fundamentis hinc inde tradi conservaverunt.

§. III. Esto igitur primum caput, *an & quatenus aliquis ad pietatis officia, quæ in jure commemorantur, invitus etiam adigi possit?* Initium faciemus à Parentibus & liberis, atque obligationibus inter hos mutuo intercedentibus. Patres liberis ad alimenta & educationem obstringuntur, cuius obligationis fundamentum, reiectis aliorum opinionibus, ex præcepto Legis naturalis de officiis humanitatis, proximiis præcipue cognatis exhibendis, deducit Dn. Præses *Instit. Jurispr. dim. v. 3. c. 4. §. 35. seqq.* Qvoniā ergo cap. præc.

E 2

pie-



pietatem in jure pro officiis humanitatis seu amoris accipi ostendimus; hinc sine dubio suppeditatio illa alimentorum & educatio sibolis primum inter officia pietatis paternæ locum sibi vindicabit. Sed tamen ita simul, ut obligatio perfecta subsit, quæ adversus patres talia dengantes justa remedia suppeditat.

§. IV. Est autem hæc obligatio aliter considerandæ quo ad *jus naturale*, aliter vero intuitu *Legum civitatum*. Prior casu Pater ad subministrationem alimentorum non ulterius obstringitur, quam quousque pietatis ratio id exigit, id est, ne dubium per æquè dubium explicasse videamur, quamdiu liberi nondum sunt in ea conditione, ut sibi ipsis alimenta comparare valeant. Neq; enim officium paternum aliter considerandum esse videtur, quam remedium aliquod subsidiarium, ad quod, ipsis hoc docentibus Legibus civilibus, non recurritur, quoties ordinaria remedium ad scopum consequendum suppetunt. Generavit Pater filium & propterea etiam curare debet, ut utile societatis humanæ membrum evadat, & porrò, ut ejusmodi artibus & scientiis probe imbuatur, quæ ad panem quotidianum acquirendum sufficiunt. Obtentò autem fine ipsam causam efficientem placide conquiescere universa Metaphysicorum schola cantat. Ex quo simul plenum redditur, *Jus naturæ portionem liberorum legitimam*, quam Leges civiles innuunt, protinus ignorare, & simul opinionem eorum, qui eandem juris naturalis esse nescio ex quibus fundamentis afferunt, omni prorsus ratione destitutam collabescere, qui præterea ex dispositione ipsarum Legum Romanarum, milites a necessitate relinquendi liberis Legitimam eximientium, facile convinci possunt, nisi Leges suas Romanas aliquid juri naturæ adversum conti-

tinere afferere velint, quod difficulter ab illis sperandum. Porro & hoc consequitur, sententiam aliorum, qui ad minimum Legitimam eatenus juris naturae esse contendunt, quatenus alimenta sub se complectitur, minime esse universalem, sed eo tantum casu, veram; si liberi inopia premantur & sibi ipsis prospicere nequeant. Examina hæc juxta socialitatis normam, & evidentiam statim comprehendes. Nostrum enim non est, prima principia in praesenti recoquere. Vide interim disput. inaug. Dn. Riese sub Dn. Præsid. habitam de Legitima viventis c. 2. §. 23, 24, 25.

§. VI. Discedunt autem hic Leges Romanae. Sed veroniam juri naturali adversum quid statuunt, quam potius eidem nonnulla superaddiderunt, quod facere possunt. Ita enim ex primis earundem lineis notum est, patres non solum, sed ipsis quoq; matres descendentiis suis immediate eos attingentibus; pro numero liberorum primi gradus, quos in ulterioribus gradibus existentes representant, vel tertiam, vel dimidiariam quoque partem facultatum ad minimum in testamento relinquere debere, nisi impietate sua habent beneficio legum se indignos reddirent, de quo mox videbimus. Quod si hoc facere negligant, contra officium egisse: (unde testamentum in officio/um audit,) testamentum non ex officio pietatis fecisse: 12, ff. de inoff. test. immo injuriam adversus liberos induxit & maligne, circa sanguinem suum judicium intulisse, 1. 4. ff. ead. dicuntur. Neque hæc in nudis verbis atque formulis loquendi diversis subsistunt, sed effectu gaudent, id est, liberis eiusmodi testamentum in pietatem impingens, querela in officiis rescindere concessum. Quid ergo parentes invitati etiam ad pietatis hoc officium obstricti dici debent?

§. VII. Obligationem autem a contrario reciprocum

*quoad liberos* hic requirunt tum leges naturales, tum civiles. Maxima per educationem præcipue beneficia (majus quid enim adest, quam nudum officium) humanitatis, a parentibus acceperunt liberi. At vero socialitas salva esse non potest, nisi erga benefactores nos gratios exhibeamus. Injure ergo naturæ fundatum est, ut reverentiam perpetuam liberi parentibus exhibeant, non solum quamdiu hi onere educationis actu afficiuntur, sed tunc quoque, quando illo ob conditionem liberorum jam sunt exenti. Manet enim beneficium, quod ab initio tale est, etiam si cum temporis perpetuitate non sit coniunctum. Quænam exinde speciales conclusiones, quo ad consensum parentum in matrimonii liberorum adhibendum, quo ad alimenta parentibus ad inopiam redactis exhibenda, aliaque innumera alia, derivari possint, per se patet, atque ab illis fuisse tradi concessivit, qui singula singularum personarum officia explicare occupantur, ad quos hac parte nos pro instituti nostri ratione remississe sufficiat. Obligatio itaque utrinque firma deprehenditur. In eo tamen differentia subesse videtur, quod in liberis ea tantum sit imperfecta, secus atque in parentibus. Officia enim ad gratitudinem testandam omnia de jure naturæ tantum sunt imperfecta. Unde liberi sine consensu parentum nuptias contrahentes, graviter quidem peccant; Parentibus tamen rescindendi tales nuptias facultas non superest. Idem de alimentorum denegatione statuendum.

S. VII. Ulterius autem hic denuo progrediuntur leges civiles atque obligationem liberorum, novum vinculum eidem superaddendo, plenam & perfectam efficiunt. Tenentur ergo liberi ad alimenta parentibus vicissim subministranda, sed hoc tamen non aliter, nisi egestate laborrent

rent, de quo pietatis officio, pariter ut de eo, quod Parentes liberis exhibere teneri diximus in præcedentibus, fuse agit l.s. ff. de agnosc. & atend. liber. adde l.s. C. de patr. potest. Neque hic distinguitur, an adhuc in potestate patris existat filius, an fuerit emancipatus, qvod tamen alias ratione successionis maximum momentum faciebat. Clare hanc rem decidit Ulpianus in modo cit. l.s. §.13. de agn. vel al. liber. Si impubes sit, inquit, filius emancipatus, patrem inopem alere cogetur. Iniquissimum enim quis merito dixerit, patrem egere, cum filius sit in facultatibus. Neque hæc de liberis primi gradus solum exaudienda esse docent juris principia, quæ filiorum nomine omnes descendentes comprehendunt. Facit huc §.17. d. l.s. ubi idem Ulpianus rescriptum esse dicit, heredes filii ad ea præstanta, quæ vivus filius ex officio pietatis sua dabit, invitos coginon oportere, nisi in summam egestatem pater deductus est. Hoc enim idem prorsus est, quod de ipsis filiis, paulo ante affirmaverat. Nam & hi ad alimenta parentibus non tenentur, nisi ad summam egestatem deducti sint, id est, si seipso alere non possint. Neque ergo opus fuisset, ut citatis verbis in heredibus filiorum diversum quid obtine-re innuisset, quin potius eandem in filiis eorumque here-vibus rationem militare convenientius dixisset.

S. VIII. Habent alias milites multa peculiaria præ paganis in jure Romano. Ea tamen non eosque exten-denda, ac si ide liberi milites ab officiis pietatis parentibus præstantis excepti essent. Hæc enim qualitas aliqua acci-dentalis & diversum ab aliis vivendi genus subvertere nequit. Quæ itaque in genere afferuerat Ulpianus in l.s. pr. & §.3. ff. de obsequi. par. & patr. præf. etiam militibus pietatis ratio-nem in parentes constare debere, & hinc si filius miles aliquid in patrem commisit, pro modo delicti punendum esse: Item: indignum militia in-di-

dicandum esse, qui patrem & matrem, a quibus se educatum dixerit, maleficos appellaverit: Ea in cit. l. 5. §. 15. de agn. lib. proprius ad punctionum alimentorum applicat, sustinens, pietatis existimare rationem, quod a milite quoque filio, qui in facultatibus sit, parentes exhiberi debeant. Quid? quod nec eo casu, si parentes' delicti aliquius damnati sint, hoc vinculum cesiare haud obscure colligi possit ex l. 5. C. de Obseqv. patron. præst. argumento a minori ad maius desumto. Libertos etenim paternos & liberis damnatorum (scil. Patronorum) consuetum obsequium præstare debere ibidem expresse habetur. Quidni ergo hoc & de liberis, qui aetiori adhuc vinculo præliberis tenentur, affirmandum foret?

§. IX. Diffundit se hoc argumentum in plurima specialioria, quæ tamen singula recensere, nimis quantum ab brevitatis scopo, quem præ oculis habemus, aberraret. Paucis ergo rem quadam tenus illustrasse nobis sufficiat. Ita autem generaliter rem efferemus, filium nihil omnino admittere posse, quod ulla ratione pietatem parentibus debitam laedere videatur. Jusibus ergo paternis obtemperandum, mores juxta parentum præscripta componendi, & quæ ex bonis liberorum emolumenta concedunt Leges, ipsis neutiquam adimenda vel intervertenda. Si filius Patrem aut matrem, quos venerari oportet, contumelias afficit, vel impias manus illis infert, Prefectus urbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo ejus vindicat, l. 1. §. 2. ff. de obseqv. Par. & Patr. præst. ubi obiter notandum, quod publica pietas interdum quoque in jure Romano idem, quod publica utilitas, seu publicum interesse, indigitet. Quibus omnino consona sunt, quæ Imperatores Alexander, Valerius & Gallienus Constitutionibus suis prodiderunt in l. 3. & 4. C. de patr. potest. concedentes patrijus castigandi filium, si pie-

tatem eidem debitam agnoscere detrectet, simulque Magistrati injungentes, ut laesam pietatem severius vindicet, si proiectam ad inclementiores injurias filiorum improbitatem deprehenderit.

§. X. Ex eodem fonte profluit, quod famosam actionem liberis contra Parentes mouere non sit concessum, *i.e. ff. de dol. mal.* quamvis hi per Procuratorem judicium accipiant, cum licet in verbis Edicti non habeantur, rem tam ipsa ex opinione hominum non effugiant infamiae notam, *i.e. ff. de obseqv. par.* Idem de doli aliaque exceptione, quae parentis opinionem apud bonos viros suggillat, disponit *i.e. ff. 16. doe dl. mal. & met. except.* Eadem causa est, quae liberis adversus Parentes ex capite prætensiæ lassionis restitutionem propter personæ reverentiam denegat, juxta *i.e. ulti. §. f. C. qui & advers. quos in integr. restit.* Et è contrario parentibus necessariò (nisi justæ causæ adfint) legitimam hereditatis portionem relinquendam esse dictat. *Sola est,* inquit Justinianus in *Nov. 115. c. 5. nostra Serenitatis intentio, à parentibus & liberis injuriam præteritionis & exheredationis auferre.* Considerare namque debent Parentes, quia & ipsi filii fuerunt & eadem à suis parentibus speraverunt. Et similiter, qui nunc filii sunt, debent studere Parentum animos sanare, quia & ipsi parentes fieri desiderant, & à suis filii optant honorari. Hæc sane nihil, nisi multiam pietatis obseruantiam inculcant parentibus & liberis, licet pro more suo Justinianus, vel ejus nomine Tribonianus, loco simplicis vocabuli pietatis multis verborum phaleris usus fuerit. Alia cumulare supersedemus. Continentur enim sub generali *i.e. ff. 9. & 10. de obseqv. par.* assertione, *ad pietatem liberos parentibus adstrictos esse, borumq; personam illis semper honestam & sanctam videri debere.*

§. XI. Prout autem vita duplex esse dicitur J Ctis Romanis, *naturalis & civilis*, id est, vita propriè sic dicta & libertas: ita quoque duplicitis generis parentes & liberos, & porrò duplicita officia pietatis apud eosdem deprehendere licet. Supponendi tamen sunt termini habiles. Neque statim enim quæ Libertus Patrono debet, illi ab hoc vicissim sunt præstanta. Præcipuum autem pietatis officium à Patronis libertis exhibendum in subministracione alimenterorum consistit. *Alimenta*, dicit Modestinus in 1.6. ff. de agn. & al. lib. libertò petente, non præstando Patronus, amissione libertatis causa impostorum, (id est, operarum) & hereditatis liberti punietur. Quid verò est, quod statim subjunxit Modestinus: *Non autem necesse habebit prestare, etiam si potest.* An ergò Patronus jure perfecto non obligabitur ad alimenta præstanta? Glossa ad hunc locum duplicem assert interpretationem. Et juxta alios quidem verba: *etiam si potest*, idem significare dicit, ac si libertus sibi sufficerre potest. Sed hæc interpretatio contextui & verbis proximè antecedentibus liquidò repugnat, quæ de Patrono, non autem de liberto loquuntur, neque de tali casu ratio dubitandi suberat. Ergò secunda forsan melior erit, quæ verbis: *etiam si potest*, hanc locutionem: *si vult hic jura perdere, æquipollere afferit.* Et omnino sic se res habet: Non vult Modestinus actionem dari liberto adversus Patronum de præstandis alimentis, sed saltem exceptionem impietatis, si patronus petat operas aut hereditatem liberti.

§. XII. Plurima verò, imò non erravero forsan, si omnia dixerim, quæ ad pietatem liberorum referebamus, ad libertos quoque applicari possint. Unde fit, quod in titulo de obsequio parentibus & patronis præstanto: utriusque officia simul tradantur, & præterea singuli textus, quos jam

jam ante §. 10. allegavimus Patronum parenti sempér & ubiq; adjungant. Quibus addendi text⁹ l. 1. 2. & 3. C. de obsequ. Patron. pref. aliique, qui liberto Patronum privatā, ut olim erat, autoritate in jus vocare, nōn minus ac filio interdicunt, è contrario autem Patrono Liberto ob debitum convento beneficium competentiæ concedunt, argumento iterū à Parente ad Patronum deducto, conf. §. 38. J. de act. De jure revocandi bona à liberto in fraudem portionis Patrono debitæ alienata, res pariter nota est, & consuli protest de ea fusius Peretz ad tit. C. sin. fraud. Patron. alien. fact. conf. Gothofred. ad rubr. C. de bon. libert. & in genere tot. tit. ff. & C. de Jure Patronati, de obsequiis Parentibus & Patronis prestandis, &c.

§. XIII. De Pietate, quam fratres sororesque sibi invicem debent, expressis quidem verbis nihil dispositum reperitur in Legibus Romanis; nihilominus tamen & hisce in casu inopiae onus alimentandi incumbere ex legum argumentis asserunt DD. v. Surdus de alimentis tit. l. qv. 25. Struv. S. I. C. Exerc. 30. th. 78. Provocant autem ad l. 13. §. 2. ff. de admin. & peric. tut. nec non ad l. 1. §. 2. ff. de Tutel. & rati. dirab, in quarum utraque dicitur, quod Tutor sorori pupilli, quæ aliter se tueri non potest, alimenta recte subministrat, neq; adeo propterea actionem Tutelæ timere opus habeat. Recte quidem. Hic enim sensus est allegatarum Legum. Sed tamen exinde nondum inferri posse videtur, quod frater à fratre *jure perfecto* ejusmodi alimenta prætendere possit, inque ea sententia nos ulterius confirmat, quoniam Leges Romanæ in casu Legitimæ portionis intestamento relinquendæ satis notabilem inter Parentes & fratres differentiam constituunt, permitentes, ut frater fratrem sine ulla causa expressa plane præterire eique ex-

traneum heredem præferre possit, quod ipsum quoque à ratione non abludit, siquidem Parentibus liberi ad gratitudinem, fratres autem sibi invicem ad simplicem tantum amicitiam obligantur. Adde quod judicium de alimentis faltem inter parentes & liberos concedatur. Nihil ergo deficiente texu & ratione juris Surdi aliorumque apud nos valet autoritas. Nec relevat, quod tamen in citatis Legibus mater & soror conjungantur; exinde enim nondum inferri potest, eandem esse circa matrem & sororem rationem, sed iste legum sensus videtur, quod sicuti matri filius ad alimenta jure perfectò tenetur, ita quoque idem sorori, sed si velit, alimenta non iustè suppeditet, qui sensus est etiam verborum ult. in l. 1. §. 2. de tutela & rat. disfr. quin imò per contrarium putat posse cum tutorē agi tutelā, si tale officium prætermiserit. Accedit, quod verba legum non sint dispositiva, atq; adeò ex aliis Legum fontibus interpretationem capiant, quæ tamen, ut monstravimus modò, longè est diversa. Ceterum quoad remotiores consanguineos obligationem imperfectam tantum adesse, Doctores communiter consentientes deprehendimus v. quos allegat Struvius cit. Ex. 30. tb. 78. licet Surdus iterum sine ratione dissentiat.

§. XIV. Videamus jam porrò, quid *Donatarius* benefactori suo debeat. Ad gratitudinem & pietatem eundem adstrictum esse, nemo facile negabit; sed in eo faltem residet quæstio, an donator jure perfecto aliquid ab illo prætendere valeat. Sane, si juxta Legis naturalis placita rem consideres, jure tantum imperfecto gaudere videtur, hæc enim donatarii pudori reliquerunt, quomodo erga Donantem se exhibere velit. Paulò tamen aliter de jure civili dicendum erit. Brevibus rem

rem expedire possumus, ita enim expresse Justinianus in l. 10. c. de revoc. donat. fanciuit, ut si donatarius ingratus existar, & inter alia *impias manus* donanti inferat, hic beneficium in ipsum collatum ex postfacto revocare queat. Alias tamen causas, praeter ibi expressas, non admittimus, licet dissentientem videamus Clarum §. *donatio. qu. 21. n. 2.* & Struvium *Ex 40.1b. 15.* nitentes claris d. 10. verbis, ibi: *ex his tantummodo causis.* Neque enim est, ut Legulejissimum nobis imputes, qui non attenta legis ratione clara solum ejusdem verba crepat. Admittimus hubentes rationem extensionem in quibuscunq; legum generibus; sed simul tamen nobis constat, in Legislatoris quoque potestate positum esse, ut interdum extensionem legis prohibeat, quod hic factum esse, nemo inficias ibit. Unde hanc nostram sententiam recte defendit Carpzovius p. 2. *conf. 12. def. 21.* Eodem itaque modo fallitur idem Struvius *cit. loc.* & quod magis est, ipsa Glossa *ad d. 1. 10.* putans, donatarium donatori ad inopiam redacto ad alimenta perfecte obligari, ita ut si denerentur, pariter revocationi donationis locus concedatur. Neque juvat utrumque, argumentum a Parente & Patrone desumimus, ex quo ita inferri voluisse videtur, omnem, qui beneficium ab altero accepit, eidem ad suppeditanta viuae subsidia obligari. Cum etenim beneficia gradibus suis inter se longe differant, atque vita naturalis a Parentibus liberis communicata, libertas quoque manumissis a patronis collata omnibus temporalibus bonis plurimum praevaleat, justa ratione consequentia illa a nobis negari potest.

§. XVI. Non levis hic, ante quam progrediamur, ; scrupulus Lectori est eximendus. Neque enim exiguum contradictionem involvere videntur duæ assertiones, alte-

ra in capite præcedenti a nobis exposita, pietatem JCTis Romanis idem esse, quod amorem; altera autem ha&etenuis deducta, dari remedia coactiva ad amorem procurandum, in quibusdam casibus ex ipsis Legum fontibus hucusque explicatis. Quid enim? an amor, qui omnem coactionem respuit, ab invito etiam extorqueri potest, & si hoc, an illud, quod extorquetur, amoris nomine dignum dici poterit? Huic dubio ut occurramus, prænotandum primo est, posse Legislatorem humanum, quoties id utilitatem Reipublicæ, cuius ipsi summa cura esse debet, exigere videt, haud raro vinculo naturali novum super addere atque adeo, quæ ante iuris tantum imperfecti erant, eatenus firmare, ut per actionem quoque judiciale ab initio exigi valeant. An non enim aliorum, qui se ipsis regere nesciunt, necessitatibus prospicere, abstrahendo a Legibus civilibus, ex officiis humanitatis dependet? annon contractus ex mera cujuscunque voluntate dependere tralatitium est? Et nihilominus tamen onus tutelæ per Leges civiles singulis civibus, nisi justa excusatione se tueri possunt, invitatis etiam injungitur. Et nihilominus pariter tempore annonæ Magistratus illis injunxit, qui frumento abundant, ut indigentibus justo pretio id vendant. Deinde considerandum, quod non implacet, esse aliquid lege injunctum & tamen ex amore provenire. Omnis enim virtus, quæ est amor, normam suam ex legi dispositione accipit, & nihilosecius tamen est virtus. Virtuosus quippe, eo ipso, dum voluntatem Legislatoris cognoscit, se eidem sponte submittit ejusque iussa prompte exequitur, non formidine pœnæ, sed virtutis amore. Unde justo etiam Legem non esse positam asserit ipsa sacra scriptura. Et denique tandem, modo recte explicitur locutio: *ad officia pietatis aliquem adigere, omne statim dubium*

corruit. Neque enim iste est sensus JCtorum Romanorum, neque etiam noster, ac si post accendentem coactio-  
nem adhuc ex amore quis egisse dicendus, contradic̄tio e-  
nim hoc pacto utique admitteretur; sed id tantum volunt,  
posse aliquem invitum etiam ad ea pr̄standa adigi, quae ex  
amore seu pietate alias pr̄standa quidem erant, sed tamen  
sponte non pr̄stabantur, idque publica utilitate & neces-  
itate ita exigente, ne forsan, si e. g. pater liberis alimenta de-  
negaret, onus educationis in Rempublicam devolvatur.  
Dicitis: At verohoc pacto fratribus etiam ceterisque con-  
fangvineis eadem alimentorum necessitas imponenda  
fuisset; Fateor, non involvisset iniquitatem, si ita legislato-  
ri placuisset; interim tamen tam stringens ratio non adfuit,  
quæ eum ad ejumodi extensionem legis de necessitate in-  
ducere potuisset. Est quidem inter omnes cognatos conjun-  
ctio, sed est talis quoque inter omnes homines, quia omnes  
ab uno fangvine ortum suum derivant. Ergo Legislator  
eo respexit, quod inter parentes & liberos singulare pro-  
fus necessitudinis vinculum deprehendatur, quale quidem  
inter nullos alios homines intercedit.

§. XVI. Supereft secundum capit̄is membrum, quod  
enucleandum nobis sumfimus, an scilicet is, qui alteri officia  
pietatis sponte exhibuit, exinde adversus alterum, cui illa officia  
exhibita sunt, actionem in foro civili consequatur? Ubi tamen  
statim vides, quod ad excludendas cavillationes pr̄mone-  
re necēssarium duximus, nos in pr̄senti non disquirere, an-  
non ille, qui officia pietatis grato animo non agnoscit & ea  
compensare renuit, notam impietatis moralis incurrat, id  
est, apud omnes pios & honestos male audiat; hæc enim v-  
ti vera quidem sunt, ita tamen ad aliud forum plane diver-  
sum referenda veniunt. Nos tantum hac vice intra ter-  
mi-

minos jurisprudentiae externae, ut ratio instituti fert, permanebimus. Et in genere notamus, eum, qui pietatis intuitu alteri beneficium impensis constans exhibuerit, nulla actione impensas illas repetere posse. Quia videlicet, quæ ex officio pietatis præstantur, præsumuntur animo donandisi. At ex donatione saltem obligatio ad antidora nascitur. Nunc videamus his ita in genere prænotatis de casibus quibusdam specialibus.

§. XVII. Maxime autem haec tractatio in materia negotiorum gestorum locum invenit. Absentium quippe & ignorantium negotia affectione coacti ut plurimum gerere solent homines, ita dicente Ulpiano in l. 3. §. 9. ff. de negot. geste. Ex quibus Ulpiani verbis vel dicendum videbatur, quod, quia omnis negotiorum gestio fit ex affectione i. e. pietate aut nunquam negotiorum gestorum actio concedi debeat, aut falsum sit, quod modo diximus, ob gesta ex pietate non dari regulariter repetitionem. Prius afflere absurdum esset, reclamante omnijure. Ergo posterius statuendum erit, cui tamen infiniti textus mox allegandi repugnant. Hoc dubium itaque ut expediamus, tali ratione nobis hic incedendum erit, ut diversas ipsorum negotiorum gestorum classes probe ab invicem separemus. Aut enim quis ejus negotia expedienda suscipit, cui praeter communem naturæ cognitionem (v. l. 3. ff. de f. & f.) non est obstrictus, aut vero in altero casu arctius quoddam vinculum in gestore deprehenditur. Priori casu sine omni dubietatis ratione gerens validam contra eum, cuius utilitatem promotavit, ratione sumtuum & impensarum, quasi erogavit, consequitur actionem, ex quo Jcti Romani totum suum negotiorum gestionis quasi contractum effinxerunt. Ea si quidem naturæ humanae est conditio, ut propter inhærentem pro-

proprii amoris & auaritiae radicem, rarissime alteri cum proprio rei familiaris dispendio benefacere consvererit. Ex quo simul patet fundamentū tritae & veræ ICtorum regulæ : *donationem in dubio non presumi, sed eam ab allegante legitimis probationibus docendam esse.*

§. XVIII. Aliter se res habet posteriori casu, ubi pecuniale pietatis vinculum generali illi superadditum. Unde iterum recte juris interpres assertionem modo adducunt limitare consvererunt: *donandi animum inter personas conjunctas in dubio presumendum esse, nisi contrarium allegans hoc rite docere possit, forte, quod dum fusciperet gestio nem, justa protestatione sibi consuluerit, & erogata in impensarum rationem retulerit, ex mente Pauli in l. 34. ff. de negot. gest.* Sed nechæc assertio ita generaliter admitti potest. Igitur de ejusmodi personis distinctim videamus. Et primo quidem de *matre & avia*

§. XIX. Casum in hanc rem Nesenius Apollinaris Julio Paulo, JCto, sequentem proponit in *l. 34. ff. de negot. gest.* *Avia nepotis sui negotiagessit: defunctis utrisque, avia, & nepote, heredes avia conveniebantur a nepotis heredibus negotiorum gestorum actione.* Heredes aviae è contrario per modum exceptionis alimenta nepoti præstatae reputabant. Quæ res maximæ partium disceptationi ansam præbebat. Repli-  
cando siquidem Actores, nepotis heredes, *aviam jure pietatis alimenta de suo* (id est, animo donandi, non repetendi) *præstasse* sustinebant, cù nec desideraverit; *ut decernerentur alimenta, nec etiam decreta essent.* Addebat, *constitutum esse, ut si mater aliisset, non posset alimenta, quæ pietate cogente de suo præstisset, repetere.* Rein duplica ostendebant, argumentum ab eo, quod de matre constitutum esse diceretur, ad præsentem casum male inferri, *tunc enim recte dici, matrem*

trem pietate cogente, i. e. si liberi non habeant, vnde se ale-  
re possint, alimenta præstantem non posse repetere, aut,  
etiam cum (ita enim pro ut legendum puto cum Antonio  
Fabro) de suo aliis Mater, negotia videlicet alia pupilli non  
gerens, probaretur, at in proposito aviam, que negotia nepo-  
tis, qui se ipsum exhibere posset, administrabat, verisimile esse,  
de re ipsius nepotis cum aliis. Ex hac facti specie duæ quæ-  
stiones Paulo resolvendæ proponebantur, & prima quidem  
an non aviae heredes alimenta, ab avia nepoti præstata, a nepotis  
heredibus repetere possint? Quod si hæc forsitan simpliciter af-  
firmanda non foret, secunda subiectebatur: annon ad mini-  
mum de utroque patrimonio (aviae scil. & nepotis, ita enim le-  
gendum esse, non utroque patrimonio sine præpositione),  
verba legis finalia docent, ) erogata videantur, & per conse-  
quens, annon saltē pro dimidia parte iterum repeti queant?

§. XX. Quid ad hæcce Paulus? Quemadmodum ultimam questionem in fine legis simpliciter negat: ita quo ad pri-  
mam questionem respondet, quod disceptatio in facto consistat, id  
est, quod simpliciter ad eam, responderi nequeat, sed ante  
omnia circumstantiæ, quas in duplica commemorabant  
rei, probè sint respiciendæ. Neque perpetuo observan-  
dum esse putat, quod in matre constitutum est, alleganti-  
bus Auctoribus; quinimo & hic minimam circumstantiam  
jus variare tacite insinuat. Hæc ergo ipsius mens est, re-  
gulariter quidem præsumptionem contra matrem etiam  
negotia filii alia non gerentem militare, quod animum do-  
nandi habuerit; (v. §. 18. preced.) ast tamen eandem quoque  
audiendam esse, si contrarium probare parata sit, quod ex  
facti circumstantiis fieri posse afferit. Exemplum addit, si  
forsitan ab initio protestata sit, se filium ideo alere, ut aut ipsum,  
aut tutores ejus conveniret. Igitur audiendos putat aviae he-  
re-

des impensas in res nepotis factas repetentes, partim ideo quod animum donandi non adfuisse ex ipsa negotiorum gestione generali probare possint, partim si etiam in rationem impensarum ea retulerit. Vbi obiter notandum, annotationem impensarum non ut novum exemplum afferri a Paulo, sed ut tale, quod praecedenti adminiculatur, unde ea sola non sufficeret, prout bene observat Brunnem. ad. d. l. 34. n. 1. conf. Finckelth. obs. n. n. 10. 11. 12. Mantica de tac. & ambig. convent. l. 13. tit. 18. n. 16. & 17. aliique plurimi Finckelthu-sio allegati. Alias presumtiones hic facientes cumulauit Meuius p. 4. Decis. 317.

§. XXI. Non autem hic prætermittenda distinctio, quam ex interpretibus adducunt Doctores nonnulli, inter expensas in personam filii & in res ejusdem factas, ac de prioribus tantum procedere pietatis præsumptionem, non autem de posterioribus adstruunt. Et ne sine textu iuris locutiesse videantur, ad l. 11. C. de negot. gest. provocant, cujus verba apponere e're erit: *Alimenta, inquit Imperator Alexander, que filii tuis prestiti sunt, (mater erat Herennia,) rite reddi non iusta ratione posstulas; cum id exigenre materna pietate feceris. Si quid autem in rebus eorum utiliter & probabili more impendisti: si non & hoc materna liberalitate, sed recipiendi animo fecisse te ostenderis: id negotiorum gestorum actione consequi potes.* v. Brunnem. ad d. l. 34. ff. de negot. gest. n. 3. & ad l. n. C. eod. Sichard ad l. 1. n. & 15. C. eod. n. 11. Coler. de ali-ment. i. c. 6. & 3. & c. 5. n. 20. Aut enim me omnia fallunt, aut id volunt Doctores. Si in solam personam filii impensæ factæ sint, h. e. si mater nulla ejus bona administret, tum præsumi, illa eam ex pietate suppeditasse. Quodsi autem negotia in ejus bonis & rebus gerendo quiddam impenderit, tunc præsumi non donassem. Quod si autem mens Doctorum

fit, matrem generaliter negotia filii gerentem, ea quæ in personam filii erogauerit, repetere non posse, dissentimus.

§. XXII. Occasio interim hic nobis suppeditatur, Leges Codicis de materia alimentorum hac parte agentes paulo accuratius considerandi. Citata quippe lex cum legibus Pandectarum & præcipue cum adducta l. 34. ff. de negot. gest. non admodum conspirare videtur. Paulus in d. l. 34. non ita perpetuo observandum putat, quod mater alimenta in filium collata repetere nequeat, sed disceptationem in facto consistere dicit, v. supra §. 20. Imperator contra in cit. l. C. de negot. gest. matrem ad alimenta repetenda actionem non habere simpliciter asserit. Sed salva res est. Proposuerat Herennia Imperatori, quod initio filium suum aluerit ex pietate, postea autem negotia alia in bonis ipsius gesserit. Quærebatur, an non utrumque repetere possit? Hic non poterat non Imperator cum distinctione respondere, cum in contractibus bonæ fidei maxime initium negotii respici soleat.

§. XXIII. Discederemus ad alia, nisi novum injicerent scrupulum verba sæpè citatae l. 34. ff. de negot. gest. Ponere, peregre patrem ejus (filii) obiisse: & matrem, dum in patriam revertitur, tam filium, quam familiam ejus exhibuisse. In qua specie etiam in ipsum pupillum negotiorum gestorum dandam actionem Divus Pius Antoninus constituit. En specimen obscuritatis Paulinæ, dignum, ut Paulus desuper a Fulgoſo obtortis capillis interrogaretur. Quare enim hic actio matri conceditur, cum tamen eadem pietatis ratio adſit? Sed medelam tamen afferre nititur Glossa. Videamus, quid dicat. Primo autem notat, diversas hie lectiones occurrere, quædam scilicet exemplaria habere vocem obiisse, alia autem biſ-

*biisse.* Utroque casu interpretationem in promptu habet, sed non ejusdem valoris. Pone, inquit, legi debere *abiisse*, sub intelligendum est, quod mater non ivit & dic dum revertitur, scilicet pater. Si habes, addit, *obiisse*, dic quod mater ivit cum patre, & dum revertitur, scilicet mater, alit filium. Supple etiam, eam protestatam fuisse. Veld dic etiam, pergit, dum revertitur pater, qui *obiit*, id est, reverti speratur & sic etiam dices, matrem domire mansisse, quod putabat patrem vivere.

§. XXIV. Obruit sane nos liberalitate explicationum Glossa. Sed quantum quidem ad illud attinet, dum dicit, *matrem ivisse cum patre, eamque, dum revertitur, filium aliisse*, postquam scilicet pater jamdum obierat, quod supponit affluiendo vocem *obiisse*; id rem confidere nondum videatur. Si enim mater scivit patrem *obiisse* & nihilominus tamen filium aliuit, hoc sine dubio pietatis causa fecisse videntur adest, quia nulla circumstantia contrarium svadens adesse deprehenditur. Sed addit, supple, *matrem protestatam fuisse*; verum respondeo, tale supplementum locum non habere, de protestatione siquidem jam ante locutus erat Paulus, & in hoc exemplo novum plane, a priori diversum easum indigitat. Prima denique & ultima explicatio aliquid quidem rationis habent, sed tamen non debent a se invicem separari. Neque enim sive solum dicas patrem *abiisse*, neque si solum substituas vocem *obiisse*, res dubitatione caret. Ergo ita putamus intelligendam legem: Pater *abiit*, & antequam revertitur, diem quoque *obit* supremum, quæ duo Paulus phrasit: *peregrè obiisse patrem*, indicat. Mater vero interim filium eiusq; familiam exhibit, postea tamen patrem *obiisse* resciscit, quæritur quid præsumendum? Et jam respondetur, matrem habere actionem negotiorum ad alimenta repetenda. Cur? quia eo

tempore, ubi alimenta præstabat, patrem adhuc in vivis, atque adeo pietate aliqua non dum opus esse, persuasa erat, sed intentionem habebat; se alimenta post redditum patris, cui onus alendi incumbit, ab ipso repetituram. Ergo dum pater non revertitur, actionem contra filium instituit.

§. XXV. Notabilis in hac materia adhuc est l. 1. C. de negot. gest. Ubi Imp. Severus & Antoninus, cum Tutores, inquiunt, filiorum tuorum suspectos faceres, eisdemque Tutores seu Curatores peteres: munere pietatis fungebaris, quæ causæ non admittit negotiorum gestorum actionem, ut sumptus, quos in ea litate fecisti, repetere possis: cum etiam si quis pro affectione domestica aliquos sumptus fecerit, nulla ratione eos repetere possit. Verborum intellectus per se facile quidem pater, velim tamen duos illos casus, quæ sub se comprehendunt, accurate ab invicem separares. Primus enim est: si mater tutores filiorum suorum suspectos fecit; secundus autem: si isdem Tutores vel curatores petiit. Uterque, fateor, in eo convenit, quod mater sumptus in accusationem & petitionem Turorum factos repetere nequeat; verum enim vero eatenus differentia notabilis quoque deprehenditur, quod ad petendos intra annum Tutores, si ipsa Tutrix esse nolit, teneatur juris perfecto, ita vt in casum negligentiæ & si filii impuberis decedant, hereditas filiorum ipsi auferatur v. l. 2. §. 1. ff. qui pet. Tutor. l. 2. §. 23. ff. ad SC. Tertull. l. 10. C. de legitim. hered. Illustr. Dn. Stryk. de success. ab intest. Disp. 12. C. 3. §. 4. quæ necessitas in postulatione suspecti nuspian reperitur. Itaque ex hac lege amplia regulam §. 16. propositam, quod ceteret repetitio eorum, quæ ex pietate fecimus, five ad istud officium leges civiles nos adigerent, five id sponte & absque ullo metu damni præstiterimus.

§. XXVI. Neque vero matri solum, negotia filiorum

ex

ex pietate gerenti, ut vidimus, actio ad repetendas impensis denegatur; sed ad alias quoque personas, ubi eadem pietatis ratio adest, hoc pertinet. Ita enim expresse Ulpianus in l. 1. §. 7. ff. de suspect. Tutor. omnes mulieres ad postulationem suspecti admittendas esse pronunciat, *qua pietate necessitudinis ducta ad hoc procedunt.* Addit exempla, non modo de matre & avia, sed de nutrice etiam & sorore. Poteſt enim, inquit, & soror: nam in sorore & Rescriptum extat Divi Severi: *& si qua alia mulier fuerit, cuius Praetor per pensam pietatem intellexerit, non sexus verecundiam egredientem, sed pietate productam, non continere injuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem.* Cum quibus omnino conveniunt, que habentur in l. 27. §. 1. ff. de negot. gest. eum scilicet, qui pietatis respectu sororis altuit filiam, actionem hoc nomine contra eam non habere: item in l. 44. ff. eod. quod is, qui amicitia ductus paterna pupillis tutorem petierit, vel suspectos tutores postulavit, nullam adversus eos habet actionem.

§. XXVII. Idem juris esse dicunt in Vitrico, qui ad aliena privignis praestanda stricto quidem jure non teneatur; ast nihilominus tamen, si ea sponte praestat, actionem eo nomine non habet. Ita communiter. Et si rationem assertionis desideras, provocant ad l. 15. C. de negot. gest. ubi ita: *Si paterno affectu privignas tuas aliusisti, seu mercedes pro his aliquas Magistris expendisti: ejus erogationis tibi nulla repetitio est.* Quis vero viso hoc textu de veritate illius assertio[n]is dubitare vellet? Clara enim verba de paterno affectu, id est, pietate Vitrici in illo conspiciuntur, v. Bachovius ad Treutleri. vol. 1. Disp. 10. tb. 3. lit. c. Sed sumus in hoc casu Cartesiani. Dubitamus. Imo, quod pace dissidentium dictum sit, egregium specimen malae interpretationis.

tationis hic adesse putamus. Clara, inquit, verba ad-  
sunt. Ita est. Sed & clara est particula conditionalis, si,  
quæ verbis adductis immediate præponitur. Conditiona-  
te ergo loquitur lex citata, non absolute. Unde quæstio  
manet, quid in dubio præsumendum sit? Putamus vero,  
quia Leges alias de affectu Vitrici erga privignos non ad-  
modum magnifice præsumunt, in dubio negativam sén-  
tentiam magis esse fundatam, quib⁹ pluribus comprobare  
possemus, nisi id jam ante nos præstissem. Finckelth. ob. 10.  
integr. quem exscribere non vacat. Præterea quoque iūs,  
qui allegatorum cumulis delectantur, jam consuluit B.  
Brunnemannus add. 15. qui ipse etiam sententiae nostræ  
subscribit.

§. XXIX. Itaque ut ad regulam Doctorum §. 18. pro-  
positam, quod donandi animus in personis conjunctis in  
dubio præsumatur, revertamur, probe hic observandum  
erit, pietatis quidem rationē in omnibus personis con-  
junctis aliisque amicitia intimiore adstrictis (v. supra §. 26.)  
actionem negotiorum gestorum excludere; alt tamen  
nihilominus maximam adhuc remanere diversitatis ratio-  
nem. In manu siquidem & avis ob tenerimum affectum,  
quem erga filios & nepotes suos fovent, (unde ad Tute-  
lam quoque contra regulas juris alias receptas admittun-  
tur,) pietas adesse præsumitur, adeoque hæc ab illis con-  
traria probatione est removenda; In reliquis autem hæc  
præsumptio deficit, & ab allegante probanda venit. Liqui-  
do hoc ex omnibus juris textibus ostendi potest. in l. 27. §.  
riff. de negot. gest. non absolute dicitur, quod Titio, qui pie-  
tatis respectu sororis filiam aluit, actio denegetur, sed con-  
ditionalis est locutio: super tatis respectu hoc fecit. Idem ergo  
hic obtinet, quod de Vitrico afferuimus in §. præceden-  
te

te. Quam mentem etiam habet l. i. §. 7. ff. de suspect. tutor. dum expresse ita dicit, ad accusandum admittendas esse mulieres, quarum per pensam pietatem Praetor intellexerit, id est, ex circumstantiis deprehenderit: item l. 44. ff. de neg. gest. denegans actionem ei, qui amicitia ductus paterna pupil-  
lis tutorem petierit, vel suspectos tutores postulavit, non autem adstruens, quod illa petitio & postulatio in dubio ex ejus-  
modi amicitia facta esse dicatur. Luculenter haec omnia comprobat l. 3. C. de negot. gest. & l. 16. C. cod. illa enim fratri qui pro fratre coherede pecuniam solvit, sive pignoris li-  
berandi gratia debitum universum solvere coactus est: haec autem fratri negotium sororis suae gerenti, pro diverso respectu negotiorum gestorum, vel etiam familiae her-  
eiscundae judicium concedit. Addi meretur porro l. 14.  
§. 7. ff. de Religios. ubi ita: Sed interdum is, qui sumptum in funus fecit, sumptum non recipit, si pietatis gratia fecit: non hoc animo quasi recepturus sumptum: igitur astimandum erit arbitrio & perpendendum, quo animo sumptus factus sit: utrum negotium quis vel defuncti, vel heredis gerit, vel ipsius humanitatis: an vero misericordiae, vel pietati tribuens, vel affectioni. Potest tamen distingvi & miseri-  
cordiae modus: ut in hoc fuerit misericors, vel pius, qui fu-  
neravit, ut eum sepeliret, ne infespultus jaceret: non etiam ut suo sumptu fecerit, quod si judiciliquear, non debet eum, qui convenitur absolvere: quis enim sine pietatis intentione alienum cadaver funeraliter oportebit igitur testari, quem, quan-  
tum funeraliter, ne postea patiatur questionem. Unde assertio illa Doctorum, inter personas conjunctas donandi unum pre-  
sumi, (quam adduxi mihi §. 18.) eatenus limitari debet.

§. XXIX. Nec est, quod dicas assertioni nostrae gra-  
viter repugnare Ulpianum in d. l. 14. §. 7. ff. de religios. dum

afferit, eum, qui funus alterius curat, testari debere, quo animo id faciat, ne ipsi quæstio moveatur. Nam si secundum nostram sententiam extranei non opus habent, ut probent, se quod fecerunt, ex speciali pietate non fecisse, sed id potius ab allegante talem pietatem probandum est, quid est, quod dicit Ulpianus *igitur testari oportet, quem quo animo funerali?* Respondeo enim, istud *igitur* in textu Ulpiano nostræ sententia nō repugnare, sed *Ctum testationem animi a funerali requirere*, partim quia loquitur de funeralibus ingeneri, inter quos etiam possunt esse mater, pater & similes personæ insigni pietate erga defunctum eminentes, partim, quia modo dixerat, in materia funerationis varios dari pietatis gradus, nec omnem pietatem hic excludere repetitionem. Quod si *igitur* quis hic saltem ea pietate sit ductus, ne inseptultus jaceret defunctus, & forte apud alios claris verbis professus sit, se funis ex pietate curare, oportere clarius testari de animo, ne postea ejus adversarius in probatione exceptionis, quod auctor ex pietate funeraliaverit, ad hanc ejus propriam confessionem provokeret. Adde quod *re oportet* in verbis Ulpiani non videatur accipiendum esse, pro eo, quod fieri *necessario debeat* quoad effectum juris, sed, quod fieri *conducat*. Superflua enim talia non nocent, sed saepius prosunt, scilicet ad id, ut adversario omnis exceptio ejusque probatio praescindatur, si enim funeralis testarus est distincte quo animo id effecerit, non poterit heres excipere, funerationem ex pietate factam esse. Atque hanc explicationem fvalident verbane patiatur questionem h. e. ne illum dubium aut conjectura contra reperentem remaneat. Neque enim dicit, ne absolvatur *heres*. Ita v. g. multæ clausulæ in mandatis, libellis &c. adhiberi solitæ revera nullum præbent usum

sum. Sed si quis prudentem advocatum instruere velit, recte dicet, interim oportet talia apponere, ne quis a rabilis patiatur ea de re controversiam &c.

§. XXX. Ceterum quidem huc etiam referri solet casus 1. 13. C. de negot. gest. ubi Maritoratione impensarum, quas in uxorem agram erogavit, actio adversus sacerdotum denegatur, cum ejusmodi impensas affectioni suæ expendere debeat; sed hæc quidem maritus jure perfecto præstare tenetur. Neque hic locum inveniunt glossæ Doctorum, e. g. Surdi in tr. de aliment. distinguenter, an dorata sit uxor, an habeat bona alia, aut locu plement parentem. Mafscardi de probat. Conclus. 77. n. 1. § 2. præsumptionem, solum pietatis inde inferentis: & Menochii 1. 3. præsumt. 33. n. 7. rem ita expedientis, ut maritus actionem habeat, quando ultra debitum modum & plus quam ferant vires acceptæ dotis, ac sui forte patrimonii, exhibuit alimenta, non autem, si pro doris quantitate & debito maritali aliuit uxorem; Recte enim Brunnemani-  
nus add. 1. 13. asserit, alimenta etiam indotatae uxori debe-  
ri, & habere maritum, quod sibi imputet, qui sine dore ui-  
xorem duxit, qui idem quoque pluribus persequitur, an  
& quando Maritus ad funerandam uxorem teneatur, quo Lectorem brevitatis studio remittimus.

§. XXXI. Eadem est ratio quoad Liberos, qui patro-  
ni filiis vel filiabus impuberibus Tutores petierunt, de  
quibus ita 1. 5. C. de negot. gest. Officio nec minus obsequio li-  
berti functus negotiorum gestorum actionem contra Patroni filias  
pupillas habere non potest. Expresso enim Modestinus in 1. 2.  
§. 1. in f. ff. qui pet. Tunc liberti hanc necessitatem imponit,  
ut si apparuerit eos vel propter negligentiam, vel propter  
malitiam non petuisse, ex his causis accusati apud Præ-  
mili

dem puniri queant, ut emendentur. Unde merito vapulat glossa, statuens, libertum per protestationem ab initio rite interpositam actionem sibi acquirere posse, v. Tuschus pract. Concl. 944. n. 41. Sichardus quoque & Brunne-mann. ad l. 1.5. C. de neg. gesl.

§. XXXII. Ex his jam prono alveo fluit decisio variarum quæstionum. Nos duas solum afferemus. Quæritur: an Tutor ea, quæ ad alimenta, vel alias necessitates pupilli de suo erogavit, repetere valeat? Et in dubio affirmative respondentum est, nisi allegans probet, Tutorem ejusmodi impensis animo donandi fecisse. In hunc quippe finem actio tutelæ contraria prodita est, ne officium suum Tutori sit damnosum, propter cuius administrationem salariū poscere nequit. Deinde quæritur: si Dominus in famulum ergotum aliquid impendit, an eo nomine actionem habeat? Distingvit Molina de just. & jur. Disp. 544. n. 11. apud Brun-nem: ad l. 10. C. de negot. gesl. an impensæ personæ dignitati & opibus Domini convenient, annon, & priori casu repetitionem non dari afferit. Nobis autem affirmativa simpliciter propugnanda videtur, cum inter Dominos & famulos regulariter amor sit valde exiguis, vel nullus, & famulus nullum juris fundamentum allegare valeat, quod Dominum ad hosce sumtus impendendos adstringat. Ni si iterum famulus ex aliis circumstantiis probet, Dominum ex pietate ista impendisse.

§. XXXIII. Iste tamen casus adhuc valde notabilis est, quem refert l. 32. §. 2. ff. de conduct. indeb. Mulzer. inquit Ulpianus, si in ea opinione sit, ut se credat pro dote obligatum, quicquid datis nomine dederit, non repetit: sublata enim falsa o-pinione, retingitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non posse. A Dos ergo ad pias causas refertur a J. C. Romanis.

Ex-

Extendit hoc ad legata quoque & fideicomissa Justinianus in §. 7. J. de oblig. que quasi ex coniur. que scilicet sacro fane & ecclesis & ceteris venerabilibus locis, que religionis vel pietatis intuitu honorantur, relicta, ita quidem ut si ejusmodi locis legata aut fideicomissa indebita solvantur, repeti tanquam indebita neutquam possint. Sed hoc, ut putamus, præter mentem veterum J. Ctorum, quoniam alleg. §. aperte ostendit, Justinianum hanc legem noviter prorsus invenisse. Et ergo hic flosculus ad impietas piarum causarum reserri merebitur.

§. XXXIV. Ex dictis autem facile patet, quid sentiendum sit de eorum sententia, qui statuunt, quod & illi, qui pietatis intuitu etiam inviti & prohibentis negotia gessit, actio negotiorum gestorum concedatur, nisi aliae circumstantiae accedant, animum donandi in gestore adfuerint. Casus hic est: Agrotat Titius, invitatur ab amico, qui ipsi svadet, ut justis medicamentis morbi impetum propellat, seque offert, quod Medicum in hunc finem consulere eique directionem curationis committere vellet. Renuit non solum agrotans Titius, sed & severè prohibet, ne vel Medicum consulat amicus, neque pro medicamentis comparandis quicquam eroget. At nihilominus tamen amicus propositum exequitur, atque postea agrotantem permovet, ut medicamentis allaris utatur. Quæritur quid juris? Hic quidem, si Titius postmodum medicamentis usus est, ea, quæ amicus ipsius intuitu gessit, ratihabuisse videtur, adeoque ratio dubitandion superest, quin actionem habeat. Sed pone, eum medicamentis non esse usum, & jam est quæstio, an repetitioni locus sit? Respondent affirmative communiter, v. Garcias de Expensis, C. 21. n. 21 conf. Struvium in decisi. Sib. H 3

*bab. 15. C. 17.* Sed ista quidem opinio uti textu destituitur, ita nobis salva dissentientium autoritate videtur repugnare etiam duplice ratione juris. Nam initio nulla datur contra prohibentem negotiorum gestorum actio, deinde neque a non prohibente repeti possunt ea, quae pietatis intuitu quis impenderit, quomodo ergo pietas, quae animum donandi infert hoc casu, posit inferre contrarium?

TANTUM.

*Nobilissimo Domino Goetzio Suo*

*S. P. D.*

**PRÆSES DECANVS.**

*§. I.*

**P**atere nobilissime Domine Candidate, ut, quod alias in disputationibus, quas Ipse non elaboravi, cum tempus supereat, facere soleo, & hic expediām, atque nonnulla moneam in secundis curis forte observanda.

*§. II.* Deprehendi initio *C. 1. §. 7.* quod in recensione proprii significatus vocabuli pietatis, etiam locum ex Cicerone *de invent.* adduxeris, in quo Philosophus Romanus non solum pietatis erga parentes & sanguine proximos mentiuem injicit, sed etiam memorat pietatem erga patriam. Poteris hic forte alia occasione inquirere in originem doctrinæ de obligatione & pietate erga patriam. Per patriam aut solum seu territorium patriæ intelligitur, vel homines in illo territorio viventes, vel utrumque. Erga terram patriam, tanquam rem inanimatam omni intelle-

*ctu*

Etū & ratione carentem, nulla est pietas peculiaris, quia  
nulla obligatio, ut quæ in res ratione defitutas non cadit.  
Homines in patria viventes vel sunt parentes, liberi, con-  
sanguinei &c. vel alii concives quicunque. Debemus his  
omnibus pietatem, fateor, sed ista non est pietas erga pa-  
triā, verum pietas erga parentes, consanguineos, ci-  
tatem. At pleriq; scriptorum Gentilium pietatem erga pa-  
triā tanquam peculiare pietatis genus constituunt, & a  
reliquis pietatis speciebus separant. Restat igitur respe-  
ctus tertius, quem utique mihi videntur, in animo habui-  
se philosophi, qui tantopere pietatem erga patriam com-  
mendant, ut eandem, si cum aliis pietatis speciebus, etiam  
cum pietate erga parentes, & cives, concurrat, omnibus  
aliis obligationum vinculis anteponendam esse asserant,  
scilicet obligationem erga homines quoscunque quatenus  
hinc patrio solo vivunt. Hic autem, si verum fateri debe-  
am, videtur istud pietatis genus esse purum commentum  
gentilium ad palliandas assertiones quasdam injustas, sup  
specie justitiae imaginariae. Certe in sacris literis nusquam  
de hac erga patriam pietate, quantum recordor, legitur &  
sunt ejusmodi pallia plura, quæ in philosophia Gentilium  
occurrunt, e.g. virtus heroica, de cuius inanitate alibi dī-  
xi. Hæc inter & istam tantopere commendatam pietati  
erga patriam esse vel doctrinæ, in quibus nomen pa-  
triæ afferre solent, demonstrant. Dabimus saltem exem-  
pli loco specimen pauca. Ita miles in aperte injusto bel-  
lo operas suas, etiam sponte & non coactus præstans, pie-  
tatem tamē suam commendat, quod videlicet bellum  
pro patria gerat. Et sicut, quædam pieratrem peculiariter  
laudant. Ita multi putant, si quis omnia, quæ per vires  
licuit, patriæ præstiterit, id non beneficium, sed officium  
debe-

debere existimari, in tantum, ut nemo unquam possit patriam ingratitudinis ream peragere, etiam si maxima injuria, calumnia, contumelia, danno a patria, id est hominibus in patrio solo viventibus, sit affectus. Ita laudantur cives ob pietatem in patriam, qui postquam ea reliqua sedem fortunarum suarum in alia civitate posuerunt, etiam cum violatione fidei, novæ civitati datae, patriæ prodesse studuerunt. De aliis exemplis ut jam raceam. Multa suppeditabit eam in rem discursus beati Pufendorfi, qui inter Dissertationes ejusdem Academicas primus legitur. Et meretur res etiam post viri hujus Magni diligentiam multiorem curam. Poterit tamen ista meditatio quoque tractationi inseri de impietate piarum causarum, quam alterius diligentiae in fine capit is primi reliquisti.

S. VIII. Eadem est ratio pietatis erga præceptores. Uri enim nemo negabit, ciues patriæ seu civitati, in qua nati sunt, esse obligatos ad officia charitatis, & interim tamen haec obligatio erga patriam caure intelligenda est, ne extendatur ad casus impios modo recensitos; ita nemo in dubium vocabit, discipulos & auditores præceptoribus & doctoribus suis pro doctrina salutari, singulari quodam vinculo ex capite gratitudinis, ad varia humanitatis officia & beneficia iterū esse obstrictos. Sed interim sub hoc prætextu multæ in patriæ aut etiam impietates pietatem mentiri solent, quæ distinctiorem disquisitionem cordatorum tandem aliquando merentur. Præterquam enim, quod doctrina haec virtio docentium ira sit obscurata, ut vix intellegas, quinam sint illi, quibus hoc officii genus debeas, cum quilibet velit classi præceptorum adscribi, sive veritatem docuerit, sive ineptias (e.g. stultias & subtilitates Metaphysicas, Mathematicas &c. Juridicas & reliquarum facultat-

cultatum) sive veritatem utilem docuerit, sive inanem & quæ nullo usui futura est, (ut iterum ex singularum facultatū classibus exempla non desunt,) sive gratis docuerit, & sic beneficium verum præstiterit, sive accepta pecunia, quæ acceptio gratitudinem si non tollit, certe minuit; solet etiam insuper officium præceptoribus debitum eo communiter, etiam ab Evangelicis doctoribus extendi, ut sub ejus larva salvetur tyrannus papalis & papizans in animos hominum & intellectum humanum, dum fere cuilibet, qui saltem hincere audit contra doctrinas docentium vel practicas vel theoreticas, etiam si perspicue ostendat, sibi justas causas esse, de illarum doctrinarum vel veritate vel utilitate vel possibilitate dubitandi, statim objicitur impietatis crimen, & quod violaverit præceptum quartum, quorsum a papizante Clero contra intentionem Mosis & Christi ista pseudo obligatio erga præceptores est relata. Notum est dictum Pauli, quo credentes admonet, ut doctoribus suis obediant. Atque & hoc declarationem unius ex JCis vel Politicis expectat, postquam misera contorsione verborum sub crassissimo Papatu Clerus exinde imperium in conscientias stabilire intendit, post reformationem vero Theologi, etiam nostrates veram ejus dicti interpretationem tradere vel non è re sua esse putant, vel non audent, vel etiam veritatis doctrina à paucissimis subinde tentata, a majori parte mox suppressa solet.

§. IV. Quæ §. 24. C. 1. de differentia inter superstitiones & hypocritas, item infirmos trahis, talia quidem sunt, quæ communiter etiam ab aliis inculcari solent, quæque a deo in cathedra non difficulter defendi poterunt; (quid enim in cathedra, etiam secundum leges bonæ disputatio-  
nis defendi non posset?) interim mihi de hypocrisi ejusque  
essenti-

essentia longe alia restat sententia, in doctrinis fundamentalibus primis ductibus delineata, & potissimum eo tendens, quod in scripturis hypocrisis vel plane non, vel certe non semper prædicetur de hominibus dolo malo alias decipere intendentibus, sed plerumque denotet homines bona intentione & se ipsos & alias emendare intendentem, interim ex infirmitate humana a scopo aberrantes, ex quo sequitur sua sponte, in doctrina de scandalo, dubia, quæ in quæstione, utrum actiones bonæ vel licitæ ex metu scandali sint omittendæ, oriri solent, per distinctionem, utrum res sit cum hypocritis, utrum cum infirmis, non commode, tolli. Sed quoniam tamen ista primario ad disputationem tuam non pertinent, & si Deus vires concesserit, de natura & essentia veræ hypocriseos, ( si non aliis , quod opro, eam doctrinam melius, quam hactenus factum est, expositurus sit,) & de variis modis quibus incauti in eam incurruunt, peculiariter alia occasione differere constitui, nolui emendatione intempestiva turbare tuos circulos.

§. V. Ad illustrationem eorum, quæ §. 28. & 30. dicti capituli primi attulisti, quod tristitia affectata, & parentia sanæ rationis sint falsa signa pietatis, pertinent ea, quæ, dum ante paucos menses meditationem germanicam de vanitate & lætitia edideram, communicavit mecum amicus in literis, scribens, quod sæpius contulerit cum Poireto & aliis mysticis super quæstione, utrum tristitia sit necessarium signum pietatis, sed quod tamen scrupuli ejus super hac re numquam genuine sint exempti, donec tandem deprehenderit locum in sermonibus S. Dorothei, in quo mens ejusdem ferre acchieverit. Apposuit locum S. Dorothei, ex sermone ejusdem 1. de observantia & submissione propriæ voluntatis. Interrogavi, ait, quendam abbatem senem Jobannem, discipulum Ab-

Abbas Bassanuphi, dicens: Quoniam, pater, refert scripturas per multas nos tribulationes oportere ingredi in regnum cœlorum, nec video, me aliquam sustinere tribulationem, quid igitur faciam, ne perdam animam meam, qui nullam patior afflictionem, nullam sollicitudinem vel angustiam sentio, tametsi cogitatione bac premor? Idque per literas sciscitabar, atque interscribendum levamen magnum ac magnam utilitatem sentiebam, tanta erat securitas animi, & mentis tranquillitas. Nesciebam enim virtutis vim & potentiam: propriea cum nihil afflictionis & tribulationis sentirem, formidabam. Quod cum seniori per literas significasse, ita ille mihi nodum aperuit, & respondit. Nihil vereare, fili, nihilque formides, si nullis molestiis & afflictionibus angeris, si tribulationes non sentis ullas. Nam quicunque se patrum obedientie totum dediderit, quicunque se alieno arbitratu & judicio formandum atque regendum permiserit, hanc animi tranquillitatem, hanc indolentiam procuditus sentiet & bac mentis quiete fruetur. Hactenus ille. Me quod atinet, nesciebam an amicus ex animi sententia, an satyricè ista scriberet, cum perspicaciam judicii ejus probe cognitam habeam, neque adeo comprehendenderem, quomodo in loco hoc S. Dorothei acquiescere potuerit, cum tamen alii ex eo loco facile suspicari possint, ac si illa doctrina de necessaria ad salutem acquirendam anxietate cordis saltem ab antiquis Doctoribus in medio papatu inventa sit, ad stabiliendum autoritatis præjudicium, & consolandos discipulos, qui de sinceritate sui cordis persuasi anxietatem tamen istam non sentiebant. Igitur putabam locum istum ex S. Dorotheo esse plane confitum, præprimis cum hic Author & ejus scripta mihi non essent cognita. Sed rescriptit amicus, se quidem serio ista scripsisse, & non confundendos esse pios illos eremitas & anachoretas, cum perversis & impiis, sub-

sequentium in papatu temporum, conscientiarum ductoribus & tortoribus, Quicquid tamen hujus sit, non diffiteor, post lectionem hujus ex S. Dorotheo loci, adhuc minus magnifice me sensisse de ista doctrina, maximopere anxieties animi studiosis sapientiae commendante. Mihique diversam plane a S. Dorotheo eique oppositam esse sententiam, quod nempe illi, qui se totos hominum obedientiae derunt, quos contra monitum Christi patres appellant, quique se hominum arbitratu & judicio formandos permisérunt, regulariter istis animi anxietatibus & tormentis subjiciantur, tanquam qui neglecta propria cura de salute animæ suæ eandem alis hominibus contra doctrinam Evangelii reliquerint; contra vero, quod illi, qui se totos derint obedientiae patris cœlestis, atque se ejus arbitratu & amori formandos atque regendos plane resignaverint, plenam animi tranquillitatem atque indolentiam procul dubio sentient, & ita mentis quiete fruentur. Non diffiteor, quosdam per anxietates cordis ad Deum vocari. At universale hoc medium & necessarium esse nego. Præterea si usquam, certe in via ad felicitatem, abiciendum est præjudicium autoritatis, utpote nonnisi a ratione corrupta & amore per verso ac quodammodo idololatrico hic propullulans. Ita tamen frenanda hæc ratio corrupta, ut non plane omnis & sana ratio abiciatur, quod nunquam vult aut ratio, aut divina voluntas patefacta. Quinimo scripturæ sacræ testantur, Deo non displicere cultum rationalem, argumento evidente, quod displiceat irrationalis. Nec citius in Scilicet auctoritatis humanæ incidet homo, quam si vitando Charybdin rationis corruptæ omnem rationem ejurare velit. Unde qui inculcant, in via salutis plane non esse ratiocinandum, sed simplici fide credenda esse, quæ docent, non

non possunt non, quicquid dissimulent, sibi solis infallibilitatem adscribere, qui primus & ultimus Papismi gradus est.

§. VI. In membro I. capit. 2. ubi agis de actione ad officia pietatis consequenda, malleum ut duos distinctos conceptus separatim proposuisses. Aliud enim est quærere, utrum detur actio petens exhibitionem officiorum pietatis? Aliud est quærere, utrum detur actio coercens impietatem eorum à quibus expectamus officia pietatis? Quamvis enim quoad utrumque quæstio intuitu juris Civilis affirmari possit, manent tamen conceptus distincti, quorum mixtura occurrit potissimum in §. 8. & 9. Capit. 2. Et poterat hæc observatione adhibita eo forficius notari sententia Glossæ in §. 14. 1. 10. de revoc. donation. quæ aperte agit de coercitione ingratitudinis, sine causâ extendentis ad casum, si quis donatori ad inopiam redacto déneget alimenta.

§. VII. In §. 19. & 20. ejusd. cap. 2. ubi l. 34. ff. de negot. gestis exponis, obiter tractas quæstionem, an, si pater vel mater alimenta filii in rationes redegerit, exinde præsumtio oriatur, quod animo donandi eadem non sint expensa. Hic, si Doctores, qui quæstionem affirmare solent pro probanda sententiâ sua forte verba a. l. 34. urgere ve-  
lant, juvabit ad eos refutandos distinctio rationum. Aliud enim est, si mater rationibus propriis inserat impensis in alimenta filii, aliud, si interat rationibus de gestione negotiorum filii confessas. De priori casu loquuntur Doctores illi, sed de posteriori loqui textum a. l. 34. culli-  
bet patebit, qui verba a. l. cum curâ penfitabit.

§. VIII. Atque hæc sunt, quæ occasione disputatio-  
nis tuæ mihi in mentem venerunt. Tu vero, Nobilissi-  
me

## MONITA PRÆSIDIS.

me GOEZI, itēr, quod meditāris in exterās regiones, sub clypeo gratiæ divinæ aggredere, atque feliciter eodem peracto, quod animitus voveo, in patriam redi, ac ibidem fruiere præmiis studiorum tuorum. Servabis interim, etiam me non monente, pietatem erga patriam, erga charissimam matrem, erga Curatores hactenus tuos, Consultissimum FINCLERUM & experientissimum FABRICIUM, erga praeceptores etiam tuos, Professores non solum hujus Academiæ sed & Academiæ patriæ Altdorffinæ. Interim his omnibus, quibus Tu pietatem debes, & mea pietatis officia, ob infinita favoris testimonia, quæ mihi imminenti, cum ante aliquot annos apud Vos essem, ac te inde mecum ad Nos duderem, largiter exhibuerunt, promtissime semper & paratisima, offeres, atque ut occasionem mihi dare velint, quò debiti mei vel ex minima parte solvendi initium facere queam, sincere rogabis. Vale. Dab. ex Museo d.

3. Febr. 1701.



Ka 3755<sup>a</sup>

ULB Halle  
005 308 47X

3



SB



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

8

7

6

5

4

3

2

1

0

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN A<sup>N</sup>G<sup>U</sup>R<sup>A</sup>L<sup>I</sup>S  
VERA PIETATE  
JURIDICA,

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO**  
WILHELMO,  
REGNI BORVSSIAE ET ELECTORATVS  
BRANDENB. HEREDE,  
&c. &c.

PRAESIDE  
**N. CHRISTIANO THOMASIO, JCto**  
AC FACULTATIS SUAE h. t. DECANO,

*PRO LICENTIA*  
Summos in utroque Jure Honores & Pri-  
vilegia Doctoralia adipiscendi,

*Publice Eruditorum disquisitioni submitte*

d. IX. Febr. Anno MDCCI.

**JOHANNES PHILIPPUS** *Nöß*  
Noriberg.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*  
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.